




מקוה ישראל

Hoc est,

SPES ISRAELIS.

Authore

MENASSEH BEN ISRAEL
Theologo & Philoſopho Hebræo.

Menasseh ben Israel



AMSTELODAMI.

ANNO 1650.

SUPREMO
ANGLIÆ CONSESSUS
PARLAMENTO,
ejusdemque Reipublicæ Status Consilio Honorando,

Salutem, ac felicitatem omnem, a Deo apprecatur

MENASSEH BEN ISRAEL.



Non unæ sunt caussæ, AUGUSTI PATRES, quibus moveri certum est illos, qui meditationibus suis toti terrarum orbi prodesse student, ut, quæ publici juris faciunt, opera potentioribus nuncupare, ac inscribere, soleant. Nimirum alios, & plerosque ferè, spes agit avara, ut vel numisma aliquod, vel vasa auri, & argenti, lucrentur; sæpe etiam, ut vota, ac suffragia, sollicitent, si quod sibi, vel suis fortè prensandum sit munus; alios sanctior ac sincera amicitia, ut ita palàm

faci-

faciant amorem mutuum, ac affectum, quo & ipsi eos, quorum titulis librorum frontes muniunt, prosequuntur. Placeant illi, placeant hi, quibuscunque hic vel impius, vel pius, arridet dedicantium scopus; mihi magis illi probandi veniunt, qui eo hæc faciunt animo, ut non se, non suos, sed bonum publicum commendent. Ego quidem, PATRES AUGUSTI, dum in operis hujus nostri vestibulo vos compello, sanctè affirmare possim, non aliâ adductum ad id me caussâ, quam ut gentem nostram toto pene divisam orbe favori, ac benevolentiæ vestræ, insinuë. Nec tamen hoc ita a me factum existimetis, quasi nescius sim, quam impensè hactenus faveatis Nationi nostræ: Nempe innotuit mihi & nostræ Gentis aliis, pen eos, quibus ita felicibus esse licet, ut sensus vestros observent propius, quàm non vobis modò nos juvare, ac promovere dignemini. Sed enim hoc ipsum me impulit, ut in publico Vos alloquerer, ac pro benevolo isto in nos affectu gratias agerem,

rē, non quales ore saltem proferri so-
lent, sed quātæ vel à gratissimo quoq;
animo concipi possunt. Dabitis igitur
veniā mihi, AVGUSTI PATRES, si
Vos rogare ausim, ut ulterius amare
nos, ac bono nostro favere velitis. Sanè
magis accedimus ad divinitatē homi-
nes, quò quāto crescimus magis, tanto
etiā magis minores, ac imbecilliores,
fovemus, ac tuemur. At quanto vos id
facitis studio, AVGUSTI PATRES?
Licèt ad supremū felicitatis fastigium
ascendisse videamini, ita tamen non
modo nō despicitis inferiores, sed imò
bene vultis ijs, ut eorum calamitas &
vos tangere videatur, grati, quàm Deo
sic grati sitis, qui benefacientibus be-
nefacere amat. Et certè hinc est, quòd
fortissimo animo, & ausu non usitato
res adeò magnas, & inter gentes ma-
gnopere observandas egeritis promp-
ter. Stupet totus ad hæc mundus,
omniumq; in Vos conversi sunt oculi,
ut observent, quò evasura sint, quæ
summus ille rerum Arbiter orbi terra-
rū inducere velle videtur per tantas
tot nationū mutationes tā insigniter
nota-

notabiles. Ita nempe suũ sortiuntur, ac sortiẽtur, effectũ illa, quæ per Prophetas prædici voluit; quæ omnia impleri necesse est, ut sic ad extremũ reducto in locũ suũ Israele restituatur mundo promissa sub Messia Pax, & unica illa bonorũ omniũ genitrix Concordia.

Hæc fusiùs paullo prosequor, & ostẽdo, in hoc, quẽ vobis dico, ac consecro tractatu, AVGVSTI PATRES. Non sanè latere vos possit, quã Statibus, & Statuũ Consiliarijs, nõ inutile, sed imo proficuũ valdè sit ad præconcipiendũ humanarũ deliberationũ exitum, qui sẽper tamẽ in manu Dei est, ut futuros rerũ evẽtus, quos Deus per Spiritũ suũ in Sãctis Prophetis præfinivit, observare, & ex sacris oraculis intelligere, possint. Non ingratum erit vobis hoc, scio, quodcunq; est operis: quod vel ideo hilari, ac serenâ fronte accepturos vos cõfido, quia & nationẽ nostrã, & in eâ Autorẽ hujus opusculi ametis. Id verò certi sitis obsecro, continuas me ad Deum pro felicitate vestrâ preces fundere. Ita valete, AVGVSTI PATRES, ac florete felicissimè.

Lectori Benevolo.

DE origine Americanorum, ac primis Novi Orbis, Indiaque Occidentalis, incolis, tot sunt sententiæ, quot capita. Nempe cùm, quotquot fuere, ac sunt homines, a duobus istis protoplastis Adamo, & Eva, procedant; & consequenter post diluvium a Noacho: ac videatur novus iste orbis planè separatus a veteri, oporteatque ex aliqua trium reliquarum mundi partium, Europa, Asia, & Africa, illac transiisse, dubitatum fuit, quænam fuerint gentes illæ, ac unde prodierint. Siquidem autem veritas istius rei partim ex antiquis Historiis deducenda sit, partim ex conjecturis, a vestitu, a lingua, a moribus, quæ tamen pro natura hominum ac genio variant; fit ut difficilius ea inveniri queat. Omnes ferè, qui magnâ industriâ terras istas perlustrârunt, in diversas ivere sententias. Nonnulli volunt laudem inventæ Americæ deberi Carthaginensibus, alii Phœnicibus, sive Cananæis; alii Indis, sive Chinensibus; alii Norwegis, alii insulæ Atlanticæ incolis; alii Tartaris; alii

decem

decem tribubus. Omnes revera opinionem suam firmant, non modo non verisimilibus argumentis; sed levibus conjecturis, ut in progressu brevissimi huius operis nostri videbitur. Ego quidem examinatis curiosiùs quaecunque hactenus hac de materia scripta fuere, non invenio aliam magis verisimilem, nec magis rationi consentaneam, quam Montezini nostri, opinionem, dicentis primos Americae Incolas fuisse Israelitas ex decem tribubus; quae a Tartaris bello victae, ac fugatae, post montes Cordilleras, ita nempe volente Deo, se abscondere. Ostendo simul, quod, ut non unis vicibus è terris suis expulsae sunt, ita per varias provincias fuèrint dispersae, ut in Americam, in Tartariam, in Chinam, in Mediam, ad Fluviũ Sabbathicum, in Æthiopiam. Probo x tribus non rediisse unquam ad secundum templum, servare adhucdum legem Mosis, ac sacros ritus nostros; ac tandem cum duabus Iudae, ac Benjaminis, tribubus en patriam redituras, atque regendas esse ab uno Principe, qui erit Messias filius Davidis. Nec dubium esse, quin propinquum sit felix illud tempus, multis doceo; ubi videbis, mi Lector, varias histori-

storias memoratu dignas, ac compluria veterum prophetarum vaticinia summo cum studio, ac cura singulari, explicata. Quæ operis huius nostri sit dignitas, quantumque ob laborem hunc mihi debeat mea natio, piorum ac doctorum judicio relinquo lubens.

Inscribitur vero מקוה ישראל Spes Israelis, *quod nomen deducitur à cap.* 14. *v.* 8. *Ieremiæ:* Spes Israelis Salvator ejus. *Nam scopus hujus operis est, ostendere spem, in qua vivimus, de adventu Messiæ, esse de bono futuro, arduo, sed infallibili, quia fundatur in absoluta promissione Dei benedicti*

Et quia meditor continuationem Iudaicæ Historiæ Iosephi, insignis Historici nostri, rogo, atq; obsecro omnes viros doctos, quacunque in mundi parte vivant, ad quos brevi tractatus hic noster, ut spero, perveniet; ut si qua videant æqua posteritate digna, in tẽpore ea me monere velint: præterquam enim, quod multa Iudæorum gesta, multas item Historias collegerim ex Hebræis, Arabicis, Græcis, Latinis, aliisq; aliarum gentiũ auctoribus; pluribus hoc in conatu indigeo Quæ omnia præstare libet, ut placeam nationi meæ; at magis ad gloriam Dei benedicti; cujus regnum est sempiternum, & verbum infallibile.

Auctores aliarum nationum, qui citantur in hoc tractatu.

A

Abrahamus Ortelius
Agathias.
Augustinus.
Alexis Vanegas.
Alfonsus Cemedro.
Alōsus Augustiniãus
Alonsus de Erzilla.
Alonsus Venerus.
Arias Montnanus.

B

Baronius.
Berosus.
Boterus.
Bozius.

C

Constantinus.

D

Diodorus Siculus.
Dion.
Duretus.

E

Eselius Geradus.
Eusebius Cesariensis

F

Famianus Strada.
Franciscus de Ribera
Franciscus lopes de Gomara.

G

Garcilassus de la Vega
Genebrardus.
Goropius.
Guil. Postellus.
Guilielmus Blawius
Guil. nchikardus.

H

Henricus Alangre.
Hugo Grotius.

I

Iacobus Verus.
Ioan. de castillanos.
Ioan. de Bairos.
Ioan. Roman.
Ioan. de Laet.
Ioan. Huarte.

Iosephus d'Acosta.
Ioan. Linschoten.

L

Lescarbotus.
Lucanus.

M

Manuel Sá.
Marcilius Ficinus,
Marinus,

N

Nicolaus Trigautius

O

Origines.
Orosius.
Osorius Lusitanus.

P

petrus de Cieza,
plancius.
petrus Simon.
petrus Hernandes de Quiros.
Petrus Teixera.
Pineda.
Plato.
Plinius.
Pomarius.
Proclus.
Porphyrius.
Possevinus.
Plutarchus,
Picus Mirandulanus.
Ptolomaeus.

S

Semuel Bochardus.
Solinus.
Strabo.
Suetonius Trãquillus

T

Tacitus.
Thomas Malvenda.

X

xenophon.

Z

Zarate.

Talmud Hierosolymitanum.
Talmud Babylonicum.
Paraphrasis Chaldaica.
R. Simhon ben Iohay.
Seder holam.
Rabot.
Ialkot.
Tanhuma.
Ioseph ben Gurion.
R. Schadia Gaon.
R. Moseh de Egypto.
R. Abraham Aben Ezra.
R. Selomoh Iarhi.
Eldad Danita.
R. David Kimhi.
R. Benjamin Tudelensis.
R. Moseh Gerundensis.
R. Abraham bar R. Hiya.
Don Ishak Abarbanel.
R. Ioseph Coen.
R. Abraham Frisol.
R. Mordechay Iaphe.
R. Mordechay reato.
R. Hazarya a-Adomi.

RELATIO

Antonii Montezini.

DIe 18 *mensis Elul Anni* 5404 *à creato mundo, vulgo* 1644. *venit in hanc urbem Amstelodamum Aron Levi, aliàs, Antonius Montezinus, ac narravit Domino Menasseh Ben Israël, aliisque nationis Lusitanicæ primatibus, dictæ urbis incolis, hæc, quæ sequuntur.*

Duos nempe esse annos, ac dimidium, quòd ille ex portu Hondæ in India Occidentali profectus ad jurisdictionem Papianis, in provinciam Quiti, conduxerit aliquot Indi cujusdam, cui nomen erat Francisci Castellani, mulos; atque in suo, aliorumque Indorum, comitatu fuisse alium nomine Franciscum, qui ab omnibus Cazicus vocaretur. Accidisse verò, ut, ipsis montes cordelleras transeuntibus, ingens exoriretur tempestas, quæ mulos onustos in terram dejiceret. Ægrè id, ac malam tempestatem, ferentes Indi inter se quisque sua enumerabant

 damna

damna; agnoscentes tamen, omne id, ac graviora, ob peccatorum numerum se meritos, Franciscus patienter hæc ferre jussit, brevi nempe exin tempore quietem nacturos. Indignos eâ se esse fatebantur reliqui, immo verò insignem illam crudelitatem ab Hispanis exercitam à Deo immissam, eò quod malè adeò excepissent populum ejus sanctum, atque omnium innocentissimum. Iam igitur quid confecerant viæ, cum in ipso montis vertice subsistere, ac noctē transigere, constituerent. Hic ex pyxide aliquâ accepta quædam præter caseum, ac panem, bellaria Francisco obtulit Montezinus, exprobravitque ei in Hispanos cōtumeliosiùs dicta. Respondit autē ille, ne dimidiam quidem partem miseriarum, ac calamitatum à populo crudeli adeò, ac inhumano illatarum sibi enarratam; sed nō inultos hæc se esse passuros, suppetias vindicantibus laturo populo aliquo incognito. Finito colloquio urbem Indorum Carthagenam petiit Montezinus, ubi, inquisitione habitâ, in carcerem conjectus fuit. Oranti autem Deum talia exciderant verba: Benedictum sit nomen

Adonay

Adonay, quòd non me fecerit idololatram, barbarum, nigrum, aut Indum; cumque dictâ Indi voce sibi ipsi succensere videretur, ac diceret, Hebræi sunt Indi; dein rursum, ad se rediens, nugari se agnovit; & an Hebræi possunt esse Indi? subjunxit. Secundò tertióque easdem reiteranti preces, ac reliqua addenti, in mentem venit, non fortuito aliquo casu ita se labi. Ruminatus igitur subinde ea, quæ ab Indo audiisset, diligentiùs omnia sciscitaturum se, usquequò veritatem omnium resciret, continuoque ac ex carcere dimissus esset, quæsiturum se Franciscum, omniáque ab illo dicta se repetiturum juravit. Libertati itaque divinâ favente gratiâ redditus ad portum Hondæ concessit, invenitque pro voto hominem, quem sermonum in monte habitorum meminisse se dicentem, rogavit Montezinus, an non aliquod ingredi iter secum vellet, omnéque offerenti officii genus, tres dedit imperiales, quibus necessaria quæque sibi compararet. Iam urbe excesserant, cùm Montezinus Hebræum se

esse ex tribu Levi, Deum suum esse Adonay, cæteráque omnia nil nisi vana esse ludibria Indo retulit: qui, hæc miratus, parentum percunctatus est nomen; dicentique, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum; an non alius est tibi pater? ait; annuenti, ac patrem Ludovicum Montezinum vocanti, nondum acquiescens ille, modò, inquit, gaudeo, cùm hæc te dicentem audio; modò eò reducor, vt tibi non credam, siquidem parentes tuos videris ignorare. Hæc ita esse, vti dixerat, juranten Montezinum, an non filius Israëlis esset, longiorem sermonem exosus, rogavit: qualem cùm esse didicisset, prosequi jussit, quod ceperat; addiditque, melius dein mentem explicaret, eò quòd antè ita fecisset dubium, vt nihilò certior vnquam reddi posse videretur. Postquam verò consedisset vterque, ac refecisset corpus, rursus ita auspicatus est Indus: Quòd si tibi is est animus, vt audeas me ducem sequi, scies, quæcumque scire aves. Id verò te velim monitum, pedibus tibi hoc, quodcunque est itineris, faciendum esse, vescendumque tantum cibo hoc assa-

to

to (Mayz) nec quicquam eorum omittendum, quæ tibi dixero. Morem gesturum se in omnibus regessit Montezinus. Eum sequenti itaque die, qui lunæ erat, rursum accessit Cazicus, jussitque quidvis, quod gereret in pera, abjicere, alpergatas induere, ac, sumto baculo, se sequi. Relictis igitur à Montezino pallio & gladio, aliisq; quæ habebat; iter ingressi sunt, ferẽte Indo in tergo tres mensuras istius Mayz, duos funes, alterum nodis plenum, cum unco bidenti, ad ascendendum montem; solutum alterum, ad paludes, fluviosque transeundum, cum securicula, & alpergatis. Hunc in modum accincti per totam hebdomadam, usque ad Sabbathi diem, iter promovêre; quo quieti dato, postridiè progressi sunt usque ad Martis diem, quo circa octavam matutinam ad fluvium Duero non minorem devenere; dixitque tum Indus: videbis hic fratres tuos; factóque ex duabus Xylì syndonibus, quæ cinguli loco ipsis erant, vexillo signum dedit; quo facto viderunt ab altera fluvii parte fumum densissimum, ac momento pòst tale etiam signum dari ejusdem gene-

ris vexillo. Paullo post tres viri unáque femina in scaphula quadam eos accessere, qua jam appulsa, femina in terram prosiliit, cæteris in scapha manentibus. Illa itaque habito longo cum Indo sermone, quem non intellexerat Montezinus, in navem rediit, ac, quæcunque ab Indo accepisset, tribus istis viris retulit: qui, continuè fixis in ipsum oculis, è navi egressi, ac Montezinum amplexi sunt, secutáque eorum exemplum est femina, quo facto unus rursum navem ascendit: ac cùm ad duorum & feminæ pedes se incurvâsset Indus, illi perquam humaniter eum excepere, cúmque ipso multa contulere. Paulo pòst Indus Montezinum bono animo esse jussit, & non exspectare, ut secundâ vice ab illis conveniretur, prius quam bene animadvertisset illa, quæ primo ipsi dicta essent.

Tunc verò duo isti viri, utrumque Montezini latus tegentes, vers. 4. cap. 6. Deut. Hebraicè pronuntiavere: SEMAH ISRAEL ADONAI ELOHENV ADONAI EHAD. Id est: Audi Israel, D. Deus noster *D.* unus *est.*

Dein

Dein rogato interprete Indo, quomodo quæque in Hispanico idiomate essent enuntianda, talia Montezino dixere, facto tamen parvo post quamque periodum habitam intervallo.

I. Patres nostri sunt Abram, Isaac, Iacob, & Israel, & quatuor istos tribus digitis erectis repræsentabant. Jungebant dein Ruben, tribus digitis uno addito.

II. Varia dabimus loca iis, quibus animus fuerit nobiscum commorandi.

III. Iosephus habitat in medio maris, facto duobus digitis compressis signo, ac dein separatis.

IV. Brevi, dixere, citissime loquentes, quidam nostrum exibunt ad videndum, & conculcandum, quo dicto nictârunt, ac terram pulsârunt pedibus.

V. Omnes colloquemur aliquando, pronuntiantes ba, ba, ba, & exibimus non aliter, ac si ex terra matre prodiissemus.

VI. Ibit nuntius aliquis.

VII. Franciscus de his dein paulo plura dicet, digitis signum facientes, non multa dictum iri.

VIII. *Permitte nobis, ut nos preparemus; &, motis undiquaque versus manibus, ac ore, ita orabant Deum: Ne diu differ.*

IX. *Mitte duodecim homines; signum facientes, barbatos se velle, ac scribendi gnaros.*

Finito colloquio, quod per integrum durârat diem, idem, sequentibus Mercurii, & Iovis diebus, reversi reiterabant, nullo verbo insuper addito. Pertæsus ad finem Montezinus, quod nihil ad rogata responderent, nec permitterent, ut Fluvium trajiceret, in scapham se proiecit. Sed ab illis expulsus baculo in aquam cecidit, non sine magno vitæ periculo inde ereptus, eò quòd natare non posset. Reliqui verò ex undis extracto, noli, inquiebant irati, tentare transitum, nec plura investigare, quàm tibi indicamus. Quod ipsi quoque explicabat Indus, reliquis idem signis variis, ac verbis docentibus.

Notandum est, cymbam istam toto isto triduo nunquam eodem mansisse in loco; sed, quatuor, qui venerant, abeuntibus,

alios

alios rediisse quatuor, qui quasi uno ore omnes novem illos suprà dictos articulos repeterent; numero venientium, & abeuntium, ad trecentos quasi excrescente.

Homines isti paululum à sole adusti sunt, aliique promissas usque ad genua comas, alij breviores, alii, quales nos plerunq; solemus, alebant: pulchre erant corpore, pulchrè instructi, pedibus, ac tibiis adornatum factis, linteo verò aliquo caput redimiti.

Montezinus narrat, quòd, cùm die Iovis sub vesperam inde discederet, illi multa humanitatis officia exhibuissent, allatis quæcunque ipsi in via necessaria existimassent; addidissentque omnibus illis se instructos, ut cibis, vestibus, gregibus, aliisque, quæ in India Hispani sua dicerent.

Cùm eodem die deventum esset ad locum, ubi divertissent nocte illâ, antequam ad fluvium accederent, Montezinus dixit Indo: Meministi Francisce, a fratribus meis dictum, te mihi quid indicaturum; rogo itaque, ut id referre mihi non graveris. Narrabo tibi, quæ scio, dixit Indus; modo mihi non sis molestus, &

 verita-

veritatem nosces, ut ab antecessoribus meis accepi. Sin autem nimium me roges, ut facturus mihi videris, induces me, ut falsa dicam. Adverte igitur animum, quæso, ad illa solùm, quæ tibi narrabo.

Fratres tui Israelis filii sunt, & eò conducti fuere providentiâ Dei, multa in eorum gratiam facientis miracula, quæ non crediturus es, si tibi enarraro ut ut ita a patribus edoctus sim. Nos Indi bellum ipsis inferebamus in istis terris, duriùsque tractabamus eos, quàm nos jam tractamur ab Hispanis. Dein ex jussu magorum nostrorum qui Indis (Mohanes) eò ubi fratres tuos vidisti, armis accincti rediimus, ipsos debellaturi, sed ne unus ex omnibus, qui eò commigrârunt, ad suos reversus est. Ingentem igitur restauravimus exercitum, eósque adorti sumus eodem planè successu, ut nullus rursum evaderet. Quod etiam tertia factum vice, sic ut omnibus penè incolis destituta, præter senes, ac mulieres, India fuerit. Fraudem itaque magorum subesse rati senes, cæterique qui remanserant, de ejiciendis magis

omnibus consilium ceperunt: ac multis eorum jam cæsis, illi, qui supererant, se ignotum quid dicturos polliciti sunt: quo dicto sævire desitum est. Illi verò talia edocuere.

Deus istorum filiorum Israelis verus Deus est. Omne id quod lapidibus ipsorum inscriptum est, verum est. Domini erunt totius terræ sub finem mundi. Venient qui vobis adferent multa bona, & postquam omnibus terram ditârint, filii isti Israelis ex patria sua migrantes, omnem orbem sibi subjicient, ut subjectus ipsis erat antè.

Felices eritis, si fœdere aliquo vos iis jungatis. Tum quinque primates (Cazici *Indis*) *qui majores mei erant, intellecto magorum vaticinio, quod ab Hebræorum sapientibus acceperant, eò profecti sunt, ac precibus multis tandem obtinuere, postquam desiderium suum femina isti, quam interpretem agere videbas, (eo quod fratres tui nullum commercium cum nostris Indis habere voluerunt) explicâssent. Quisquis autem nostrorum*

fratrum tuorum terram ingrederetur, ilicò ab illis excidebatur, nemine fratrum tuorum ad loca nostra transeunte. Fœdus itaque, juvante istâ feminâ, tale cum iis pangebamus.

I. Vt quinque Cazici nostri singulis 70 mensibus soli ipsos accederent.

II. Vt ille, cui arcana revelanda essent, excessisset ætatem trecentarum lunarum, sive mensium.

III. Et ne ulli talia aperirentur in loco aliquo, ubi habitaret populus, sed in deserto, solùmque præsentibus istis Cazicis. Et ita, addebat Indus, arcanum illud inter nos servamus, eò quòd magnam nobis polliceamur ab illis gratiam, ob officia fratribus tuis a nobis præstita. Non invisere nobis licet eos, nisi singulis 70. mensibus, aut si quid novi fortè superveniat. Id quod in vita mea contigit tribus tantùm vicibus: primò, cùm Hispani hâs in terras venirent: Dein cùm venirent naves in mare Meridionale. Tertiò te veniente, quem diu admodum desiderarunt, & exspectarunt. Ob tria illa nova insigniter sunt gavisi, eò quòd prophetias impleri dicerent.

Narravit

Narravit etiam Montezinus, dein sibi Hondæ à Francisco missos tres alteros Cazicos, non dictis tamē eorū nominibus, priusquam dixisset, liberè licet tibi hos alloqui, qui socij mei sunt in hoc, quo fungor, munere, de quibus tibi dicere me memini. Quintus ob senectutem venire non potuit. Arctissimè verò tres isti illum amplectebantur; rogatúsque Montezinus, cujus esset nationis? Hebrææ, respondit, ex tribu Levy, & Deum suum esse Adonay, atq; alia: quibus auditis, rursus amplexi sunt illum, ac dixere; videbis nos aliquando, & non agnosces; fratres Tui sumus omnes, singulari Dei favore, ac dein, vale utrimque dicto, discessere, dicentes singuli, mea curatum eo. Solus itaque remanens, qui Montezinum, ut fratrem salutabat, Franciscus, ita valere jussit; vale, inquiit, mi frater; alia jam agēda habeo; & eo, ut invisam fratres tuos cum cæteris Cazicis Hebræis. Quod terrā hanc attinet, securus sis, omnibus enim imperamus Indis. Postquam verò negotium, quod nobis cum scelestis Hispanis est, ad finem perduxerimus, ex servitute, in qua estis,

vos

vos ducemus, Deo iuvante; non dubi quin ille, iuxta verbum suum, mentiri nesciens, opem laturus sit. Tu interim da operam, ut homines isti veniant.

FINIS.

SPES ISRAELIS.

SECTIO. I.

INter tot varias de Indorum novi mundi origine opiniones, eásque incertas adeò, difficile est certi quid dicere. Quærenti quæ mea sit sententia super relatione Antonii Montezini, dicam, vix per aliquam scientiam hoc licere cognoscere, cùm nulla sit demonstratio, quæ nobis notitiam ejus rei patefaciat; minus verò ex sacris, aut humanis id colligas. Neque enim declarant sacræ literæ, quæ gentes terras istas primæ habitarint. Nec priusquam á Christophoro Columbo, Americo Vespusio, Ferdinando Cortesio, Marchione del valle, & Francisco Pizarro, essent aditæ, à quoquam illarum mentionem fieri videas. Quanquam autem hactenus is mihi animus fuerit, ut nil nisi solida & infallibilia tractarem, ut sunt ea

quæ

quæ legem nostram concernunt, dubiumque reddiderit materiæ hujus obscuritas, an aggredi eam foret operæ precium, ad extremum tamen induci ad id me passus sum, non quòd aliquid gloriæ, atque existimationis, inde mihi sperem; sed ut videant, qui hoc, quodcunque erit operis, a me expostularunt, amici, ac rectæ veritatis studiosi, quàm non iis placere nolim.

Paucis agam in hoc tractatu de opinionum, quæ fuere, diversitate, & ostendã loca, quæ a decem fortè tribubus occupari ajunt. Finiam verò, postquam illas in patriam reduxerò, quam verissimis rationibus indicabo, sequuturus revelationes sanctorum Prophetarum, quos non aliter (quidquid contrà nonnulli sentiant) posse explicari censeo. Non libet verò hæc disputando decidere, sed Iudæorum opiniones tantùm, qui mihi in meis mos est, candidè, ac sine fuco referam.

Sect. II.

SCiendum itaque, affirmare Alexin Vanegan, primas Indiæ Occidentalis colonias à Carthaginensibus positas; qui Novam Hispaniam occupârint primi, &, crescente hominum numero, ad insulam *Cuba* excurrerint; inde ad continentem Americæ; & tandem versùs Panamam, Novam Hispaniam, & insulam Peru. Eâ vero nititur ratione Author, quòd, ut Carthaginenses, quos mari maximè omnium usos constat olim, picturis vice literarum Peruenses, et novæ Hispaniæ incolæ, utantur. Sed ea sententia placere non possit, siquidem antiquitùs illos albos, barbatos, ac conversationis civilis gnaros fuisse; hos è contra, ut in Panama, S. Martha, unâ insularum Cubæ, & Barlovento nudos incessisse certum est. Dein quis concedat, linguam, quam primum locutos vult illos, ita repentè immutatam, ut planè sit alia? neque enim ulla huic cum illa est convenientia. Doctissimus Arias Montanus putat, In-

dos novæ Hispaniæ, & Insulæ Peru, familiam ducere ab *Ophiro* filio *Ioctani*, nepote *Heberi*. Firmat sententiam suã ex nomine אופיר *Ophir*, quod, transpositis elementis, idem valet, ac *Peru*: additq;, nomẽ *duale* פרוים *Parvaim* significare Isthmum, qui est inter Novam Hispaniam, & Insulam Peru, quæ primum *Ophir*, dein *Peru* vocata est; & regiones has esse illas *Ophir*, unde Rex Salomon curabat adferri sibi aurum, gemmas, & alia, quæ producunt, ut videre est 1. Reg. c. 9. & 10. ac Paralip. 8. 9. Videtur quidem hæc sententia alterâ probabilior, ac confirmari possit alio nomine fluvii *Piru*, qui, secundum Gomaram, jacet sub gradu secundo lineæ æquinoctialis, remotus a Panama ducentis & viginti duobus milliaribus; ut & nomine Provinciæ Iucatan, quod deduci possit a יקטן *Ioctan* patre *Ophir*. Sed enim, præterquam quòd hæc denominatio nimis longè petita videri possit, id etiam isti sententiæ adversatur, quod Iosephus Acosta 1 Histor. de Indiis

c. 13.

c. 13. affirmat, nomen Peru ipsis etiam Indis fuisse incognitum, antequam id Hispani illi nomen dedissent. Accedit, quòd Garcillasso de la Vega in prima parte comm. de Peru c. iv. narrat Hispanum aliquem, Basco Nunnez de Balboa, cum in istis terris degeret, piscatorem quendam rogasse, quod nomen provinciæ esset; Illum vero *Beru* dixisse, (ita vocabatur piscator ipse, qui rogari nomen suum existimabat) ac nomen fluvii, in quo piscabatur, *Pelu* addidisse. Hinc videre, est ex duabus istis vocibus *Peru* dictam; quod etiam multi authores Hispani præter eum, quem diximus, testantur. Dein quis credat, Salomonem, posthabitâ Indiâ Orientali adeò diviti, ac omnium rerum abundanti, ad Occidentalem misisse adeò remotam naves. Ulteriùs legimus lib. 1. Reg. c. 9. Salomonem fecisse naves in Hesion Gaber in ripa maris Erythræi; quod Iosaphatũ quoque fecisse cum Ahaziahu ait Esdras 11. Paralipom. c. 20. & certum est, viâ hâc ordinariâ in Indias cõtendere ho-

mines istarum regionum. Id verò probari non possit, quòd quidam, quia Sacra Scriptura alibi Tarsin, alibi Ophirin iisse eos asseverat, eandem esse terram concludant: cùm Tarsis non sit, ut aliis visum, Carthago, aut Thunes in Africa; eò quòd classis Salomonis non solverit ex portu maris Mediterranei, cui nomen Iapho, sed ex Hesion Gaber portu maris rubri, unde Carthaginem navigari non possit, sed in Indiam Orientalem. Isaaci Abarbanel responsio ad argumentum illud admitti non debet, dicentis brachium aliquod Nili influere in mare rubrum, aliúdque transfluens Alexandriam in Ægypto exonerare se in mari mediterraneo; cùm numquam auditum sit, quòd magnæ molis naves fluminibus istis uti possint: & an non præstitisset naves tum in ipso Alexandriæ portu fabricare? Vero propius est, Tarsin esse oceanum, sive mare Indicum, & quia, enavigato mari rubro angustiori, veniebatur in Oceanum, ait scriptura; *navigabant Tarsin.* Sequitur sententiam

tiā hanc Rabbi Ionathan ben Uziel, qui in paraphrasi sua pro *Tarsis* ponit ימא quod significat mare. Idem scribunt Franciscus de Ribera commentariis in Ionam, & Rabbinus Iosephus Coen in sua Chronologia; qui tribuūt vocabulū *Tarsi* mari Indico, eò quòd *Ophir* eadem est regio, quæ vocabatur antiquis *Aurea Chersonesus*, Iosepho terra aurea, hodié *Malacca*, unde afferebant ebur, ob grandem numerum Elephantorum, qui ibi sunt, ut nullos in India Occidentali invenias: ac in istis Indiæ portibus naves Salomonis per integrum manebant triennium, eò quòd ipsis esset cum incolis commercium. Aliter, scio, sentit Illustris Grotius, aliter Clariss. de Laet, aliter, qui huic citantur, alij; quorum opinionibus refutandis non insistam, quia brevitati studeo. Mihi ex parte probanda videtur Hispanorum in India habitantium sententia, qui communi consensu astruunt Indos a X Tribubus procedere. Nec sanè in totum falluntur; quia, meo judicio, primi fuerunt Indiæ habi-

tatores; utut alii Indiæ orientalis populi deinde accesserint per fretum illud, quod est inter Indiam,& regnum Anjan. Populi verò isti, ex sententia nostri Montesini, bellum intulére incolis istis Israëlitis, quos montana,& intima regionis loca, petere coegere: quemadmodum olim indigenæ Britanni à Saxonibus in Cambriam pulsi fuere.

SECT. III.

PRimum fundamentum istius opinionis sumitur ex libro quarto Esdræ c. 13.(quem, licet apocryphus sit, citamus tamen, ut antiquum) ubi dicitur, quòd decem Tribus, quas Salmanasser captivas abduxit sub regno Hoseæ inde trans Euphratem, constituerint in alias ire regiones longiùs remotas, in quibus numquam habitasset quispiam, quó magis meliúsque leges suas observarent. Trajicientibus tribubus itaque freta quædã Euphratis Deus miracula exhibuit, cursum fluminis sistens, usquedum transfretassent, &

& regio ista Arsareth vocatur; unde colligere est X Tribus ivisse in Novam Hispaniam, ac insulam Peru, & duo ista regna hactenus habitatoribus destituta occupasse. Genebrardus, allegato Esdræ de migratione decem tribuum loco, docere vult, Arsareth esse Tartariam majorem, ac inde abiisse eas in Groenlandiam, eò quòd America nuper reperta mari minùs vicina sit ab illa parte, cùm ab aliis eo sit cincta, ac quasi sit Insula, & ex Groenlandia transire possint per fretum Davis in terram *Labrador*, quæ jam Indorum terra est, distans inde qninquaginta milliaribus, teste Gommara in sua Historia. Eadem decem tribuum in Indiam transmigratio confirmatur eo, quod P. Malvenda refert; Arsareth nimirum esse illud promontorium, quod est confine Scythiæ, sive Tartariæ, mari imminens, Plinio *Tabin* dictum, ubi America freto solo separatur à Regione *Anian*; quod idem ab ea parte etiam separat Chinam, sive Tartariam ab America,

 ita

ita ut facilis decem tribuum per Arsareth, aut Tartariam, in regna Anjan, & Quiviræ, foret transitus, quæ occupaturæ erant cum tempore novum mundum, & terram firmam; quæ Asiam, Europam, Africamque junctas magnitudine æquat, numerantibus Alonso Augustiniano à latere maris septentrionalis, à regione Labrador 3928 milliaria, & à parte Sur 3000. Gomarâ verò ab Indiâ per partem Australem & Sur 9300, quod spatium satis videtur capax decem tribuum, ut ibi possint se diffundere per loca hactenus incognita.

Sect. IV.

OPinionem hanc fulcit, quod in insula S. Michaelis, quæ est Azorum ad novum mundum spectantium, invenerint Hispani sepulchra subterranea cum literis Hebraicis admodum antiquis, quas Genebrardus lib. 1. Chron. pag. 159. scripto reliquit,

מה טם אל שעלבין מת רע אל.

Vnde

Unde conjicimus pro ט scribendum ת, ut sensus sit: *Quam perfectus est Deus! Sebalbin mortuus est. Nosce Deum:* Nisi velis nomina esse propria, indicarique defunctum, & patrem ejus; quomodo pro ם clauso legendum ב, ut sensus sit: מהטבאל שעל בן מתרעאל. *Meetabel seal, filius Matadel.* Talia nomina in אל terminantia in sacris invenire est, ut *Rephael, Imanuel*, & similia. Neutrum cui placet, ei literas Hebraicas inventas ibi esse sufficiat. Et quamvis insula ista sit remotior ab India Occidentali, casu tamen factum potuit, ut illic appulsi fuerint.

SECT. V.

ILlud verò ad rem facere videtur, quod Garcilasso de la Vega comm. de Peru lib. III. cap. I. ubi de magnis ædificijs loquitur, addit: *In Tiahuanacu*, inquit, *provincia Collai inter alias antiquitates hæc immortali memoriâ est digna, sita ad lacum ab Hispanis Chucuytu dictum; Nimirum inter magna, quæ ibi sunt, ædificia, unum maximæ molis videre est, quod habet*

habet atrium quindecim orgyas latum; murum, quo cingitur, duo stadia altum; ab una parte atrij est camera quadraginta quinque pedes longa, viginti duas vero lata; Atrium autem, murus, pavimentum, camera, tectumque ejus, vestibulum, postes duarum cameræ portarum, ac ipsius vestibuli, omniaque ex uno tantum confecta lapide. Muri tres quadrantes ulnæ crassi sunt. Indi ajunt ædificium illud dedicatum esse Authori universi. Hæc ille. Ego ædificium illud conjicio esse Synagogam ab Israëlitis conditam; siquidem docent authores rerum Indicarum, numquam Indos ferro, aut instrumentis ferreis, usos. Quid quòd, cùm Idololatræ essent Indi, non potuit ab illis ædes sacra Deo exstrui. P. Acosta lib. VI. Ind. Hist. c. 14. talium ædificiorum, quæ ibi loci sunt, etiam meminit: ac lapidem metitum se refert, qui pedes 38 longus, 18 largus, ac sex crassus esset: Petrus Cieza in 1 parte Chronic. Peru c. 87 narrat, in urbe *Guamanga*, quæ sita est ad fluvium *vinaque*, ingens esse ædificium, quod, quia jam

jam vetustate penè collapsum erat, multis durasse seculis videbatur. Sciscitatus itaque ab Indis circumjacentibus, ac vicinis, quis antiquæ istius molis crederetur Author, didicit ab aliis ædificium id factum populis, qui barbati, ac albi, ut Hispani, longo, antequam ibi regnas sent Indi, tempore ad ea venerant loca, ibique aliquamdiu morati erant: atque ita à patribus suis per manus sibi traditum ajebant Indi. Idē Cieza cap. 105. de antiquitate ista Tiguanaci loquitur; ac monet, nulla in re, isti, aliisque, comparari posse illa, quæ ita jactant antiqua Indi. Sanè ex omnibus istis non malè colligas primos istius loci habitatores, ac incolas, quia homines albi, ac barbati essent, fuisse Israëlitas ex 10 Tribubus.

Sect. VI.

ACcedit huic opinioni argumentum, quod à loco, dialecticis à simili dicto, sumitur; cui enim leges, ac consuetudines, Indorum, Hebræorúmque, conferre libet, in multis convenire

venire eas videbit; unde facilè colligere est, Indos illas debere Hebræis cum ipsis habitantibus, ante vel postquam occultos montes quærerent. Jucatanenses, & Acuzainilenses Indi se circumcidebant. Totones Novæ Hispaniæ, ac Mexicani, prout Roman, & Gomara, in generali Indorum historia testantur, vestes lacerant, si vel repentinum aliquod infortunium, vel mors alicujus, supervenerit. Gregorius Garcias in Monarchia Ingasonum insulæ Peru narrat Guainacapacum, intellectâ filii Atagualpæ ob inimici exercitum fugâ, rupisse vestimenta. Mexicani, & Totones, sive Totonacazenses, in aris semper ignem alebant, ut jubet Deus in Levitico; Peruensibus idem in templis Soli dedicatis facientibus. Nicaraguazenses vetabant feminas, quæ partum nuperè edidissent, templa ingredi, priusquam menstruo forent purgatæ. Insulæ *Hispaniola* incolæ peccare eos aiunt, quibꝰ res est cum femina recèns enixa; & Indi novæ Hispaniæ gravissimè puniebant Sodomiæ reos.
Sepe-

Sepeliebant etiã plurimi Indorum suos mortuos in montanis, qui mos etiã est Judæorum;& nomen Chana istis in locis inventum,referente Gregorio Garcia. Id mireris, quòd ab jisdem jubilæum quinquaginta annorum in urbe Mexico, ut totius provinciæ metropoli, magna cum pompa celebraretur. Quid quòd die Sabbathi omnes ceremoniis, ac sacrificiis, in templo faciendis,interesse tenebantur. Jidem divortium faciebant a feminis, quæ quid minùs honestum patrassent. Fratrum defunctorum viduas ducebant Indi insularum Peru, Novæ Hispaniæ, & Guatimalæ. An non ex hisce judices, habitasse illic locorum Judæos, à quibus Gentes istæ talia acceperint? Supradictis adde & illud, quòd notitiam creati mundi, ac diluvii universalis, quam habebant Indi, Israëlitis acceptam ferre debeant.

SECT. VII.

QUartum hujus opinionis fundamentum sit,quòd fusci coloris,ac imber-

imberbes, sint Indi; at verò in novo mundo albos, ac barbatos, invenerint, quibus nullum unquam intercessit cum Hispanis cōmerciū, & quos non alios, quàm Israëlitas esse, dixeris; eò quòd etiam, ut nunquam potuere vinci, ita nec in æternum unquam planè cognoscentur, ut ex historiis sequentibus constat. Petrus Simon religiosus ex ordine S. Francisci in historia de inventione Terræ firmæ tradit, sub imperio Caroli V. philippum aliquē d'Vtre eò conferre se jussū, ut aperiret ac occuparet terras, incognitas invenisse a parte Americæ Septentrionalis ad quinque gradus, in provincia Omeguas, quæ est vicina provinciæ Venezuela, & hodie Carracas dicitur. Intellecto igitur a circumjacentibus illic populis gentium istarum in opibus, ac bello, robore; bellum inferre iis constituit. Jam multum confecerat viæ, cùm inveniret tandem urbem populo, ac pulcherrimis ædificiis, divitem, & non procul ab ea duos agricolas terram colentes, quos captivos abducere volebat,

volebat, ut interpretes ipsi essent eorum, quæ dicerentur. Illi, cùm se peti animadverterent, ocyssimè urbem versùs aufugerunt; sed cùm Philippus d'Vtrè ejusq; milites, equis insidētes, o. ciùs insequerētur eos, ac caperēt penè; substitere agricolæ, lanceisque suis i. psum Philippum in ipso pectore læse. re, penetrantes thoracem ex lana sagittis arcendis factum.
Miratus igitur gentium istarum dexteritatem consultius statuit, non inferre bellum provinciæ, populóque in bello instructissimo, quique armatis resistere auderet. Retrocessit itaq; cum suis. Nec hactenus aditæ sunt gentes istæ, nec nota est via, quâ adiri possint. Verosimile est, Israëlitas esse, quos illic loci servat Deus usque ad tempus redemptionis.

Idem testatur Alphonsus de Erzilla in secunda parte suæ Araucaniæ, cantico 27. ubi describens loca ista ita loquitur:

Ves

Ves las manchas de tierra tan cubiertas,
Que pueden ser a penas divisadas,
Son las que nunca han sido descubiertas,
Ni de estrangeros pies jamas pisadas,
Las quales estaran siempre encubiertas,
Y de aquellas celages occupadas,
Hasta que Dios permita que parezcan.
Por que mas sus secretos se engrandezcan.

Sect. VIII.

IOannes Castillanus Vicarius in urbe Pampelonæ Novæ Granadæ de regno Peru agens narrat, quomodo Gonzalus Pisarrus, postquam cum suis descivisset, miserit nonnullos, qui novas quærerent terras Indorum in orientalibus plagis viventium, quorum numquam sciri potuit numerus: eò quòd, ut referunt nonnulli, terra eorum longitudine bis mille milliaria superat, si inde ab origine fluvii Maragnon, qui fluit prope Andes de Cusco, numeres usque eò, ubi se in mare Septentrionale exonerat. Igitur, jã ubi navigari incipit fluvius, ei se commisit Petrus d'Orsua, Capitaneus militum, cum ipso euntium, cum quibus naves ascendit, quas Canoas vocant; quæ tamen, cùm mino-

res

res viderentur, quàm ut vim fluminis ferre possent, fabricavit Vergentinas in ripa fluvii Guariagæ, qui in Provincia Chachapoyas scaturiens Maragnonem influit. Vix verò vergantinas ingressus erat, cùm à milite cohortis suæ fortissimo, cui nomen Aguirre, interficeretur, qui interfecto omnium suffragiis successit. Jam aliquantum erant progressi, cùm invenirent planitiem sine ullo monte, ubi complures ædes in ripa, tum dextra, tum sinistra fluvii Maragnonis erant positæ, ab Indis habitatæ. Ulteriùs verò spatio duorum dierum naturalium processerunt, nihil videntes præter ædes altas, & albas, quas tamen non ausi sunt ingredi, eò quòd nimis magno essent numero incolæ; & quòd exaudirent nimium malleorum strepitum: quâ de caussâ incolæ ipsis aurifabri esse videbantur. Promoverunt itaque iter, & in ipso Hyperboreo mari jam navigabant, semper tamen littus provinciæ Margaritæ tenentes, ubi Agurra ab incolis captus suspendio puniebatur. Innotuerat

rat enim ipsis cædes capitanei Petri d'Orsua, ab ipso patrata.

Sect. IX.

Casparus Bergarensis, quocum mihi sæpe fuit sermo, egressus urbe Loxa, quæ est in provincia *Quitensi* regni Peru, comitatus est chiliarchá Don Diego Vaca de la Vega novas terras quæsiturum. Venerunt anno 1622 in provinciam Iarguason-go à Capitaneo Salines inventam, & penetrarunt montes *Cordilleras*, ubi fluvius Maragnon jactum lapidis latitudine non superat. In provincia Indorum Mainensium moliti sunt urbem, cui nomen S. Franciscus de Borja, & Esquilache. Inter ejus verò comites centum Hispani erant in navibus, Canoas dictis. Dein subjugatis Indis istis, ac Regi Hispaniæ fidem jurare coactis chiliarcha à Mainensibus instructus, ad alia loca processit, postquam urbi exstructæ præsidium imposuisset. Peractis quingentis in fluvio leucis, invenit quasdam Indorum ca-

sulas

sulas ibi delitescentium, favente ipsis fluviorum ibi in Maragnonem influentium, numero. Cùm in fluvium Guariagam jam enatassent, ubi Petrus d'Orsua fabricatis Vergantinis, ab Agurra occidebatur, Indos Guariagas à fluvio dictos, quos ceperant, rogavere, quænam ad ripam fluvii habitarent gentes, à quibus chiliarcha edoctus, quinque inde dierum spatio vivere homines proceræ staturæ, habitu pulchros, egregiè, ut Hispani, barbatos, fortésque, & belligeros, quique navibus canois navigare nescirent; quanquam cæteri Indi non aliis uterentur; eâdem qua venerat via ilico retrogressus est.

SECT. X.

IN Pharnambuco ante quadraginta annos octo tabaiares invasit cupido investigandi regiones, videndique an terra ulterius sita incognita habitaretur. Peracto igitur quatuor mensium occidentem versus itinere accessere montes, quorum vertice difficillime

superato, invenere planitiem, quam circumfluebat fluvius amœnissimus; cujus in ripa hominibus albis, barbatisque, quibus omne genus commercii placeret, locutos se Brasiliensibus post elapsum nonimestre spatium, quinque Tabaiares retulere; tres enim reliqui in via defecerant.

SECT. XI.

NOstro tempore sub Rege Philippo III. capitaneus Petrus Fernandes de Queiros ex India, ubi omnem fere vitam transegerat, reversus Romam ivit, monstravitque tabulam novarum terrarum quærendarum. Madritum ut dein venit, quinque naves à Gubernatore Panamæ, ad quem fuerat remissus, ipsi sunt datæ, ut, quod moliebatur, perficeret? Iter itaque jam inivérat, ingressusque vix mare meridionale, invenit terras, quas Insulam Salomonis, & Hierosolymam, vocavit ob caussas, quas ex ipso rescivi. Prope littus itaque insularum istarum semper navigans Insulanos vidit esse coloris fusci, cepitque nonnullos; alios verò habitantes in Insulis majoribus, &

fertilioribus, albos, cum longis tunicis ex ſerico conſutis; juſſuſque nauta terram petere in ſcopulum illiſit navẽ, quâ, accurrentibus, & avidè ſpectantibus, inſulanis, ſubmerſâ capitaneus cum reliquis inde receſſit, quæſiturus Terram Firmã; quam quadraginta gradibus ulterius invenit, ac trecenta milliaria confecit prope illius littus. Cúmq; ob fumum, quem videbat, terram habitari animadverteret, & in ripa fluvii cujuſdã portum appellere vellet, accurrere obviã multi homines albi, flavis capillis, proceri gigantum inſtar, ſplendidis veſtiti tunicis, longiſque ornati barbis. Unâ verò navium in introitu portus naufragium paſſâ altum repetere coactus eſt; miſſi verò ſunt ad eum ab inſulanis duo Chaloffi fuſci coloris, ut erant primæ inſulæ incolæ, cũ ovibus, aliiſq; cibis, & fructibus, rogantes, ac precib9 minas addentes, ut â terrâ diſcederent. Exceptos igitur Chaloffos in Hiſpaniam deduxit capitaneus, a quibus nihil, niſi per ſigna, poterant, reſcire Hiſpãi: illis ad rogata reſpõſi loco

 mon-

monstrantibus barbas, quasi tales esse Dominos suos innuere vellent, à quibus essent missi, ac si de religione interrogarentur, digitis in cælum erectis docebant unum tantum adorari a se Deum. Moriebantur parvo post tempore in Hispania. Capitaneus verò *Pa*namá reversus duabus relictis, quæ perierant, navibus, cùm lis ipsi à Gubernatore moveretur, ad Senatores, qui rebus Indicis præsunt, dedit literas, quorum ope dimissus, in Hispaniam rediit cum navibus, ubi per duos annos mansit rebus non prius peractis. Rex autem marchionem ipsum creavit terrarum ab ipso inventarum, ingentémque ipsi parari jussit exercitum, ut ea, quæ haberet in animo, exsequeretur. Sed Panamam vix venerat, cùm non sine suspicione veneni à Gubernatore oblati moreretur.

Sect. XII.

ID quod jam narraturus sum, inserviet probationi ejus, quod de Indis Occidentalibus dixi. Ipse nauta Batavus

vus narravit mihi fuisse se non multo antehac tempore cum navi sua in America, septem gradibus a parte septentrionali inter Maragnonem, & magnum *Para*, ac portum intrasse se in amæno fluvio, ubi invenerat aliquot Indos Hispanicam linguam callentes, a quibus emebat cibos, ligna tincturæ generis, postquam ibi semestre commoratus esset spacium, intellexit fluvium istum versus Carybes Indos extendi octodecim leucis, usque quo navis ejus vehi possit, & fluvium illic dividi in tria brachia, ubi sinistrorsum duobus mensibus naviganti occurrerent homines albi, barbati, benè instructi, ac opipare vestiti, auri & argenti divites, habitantes in urbibus muro cinctis, & incolarum plenis; nonnullos verò Indos Oronochi eo profectos multum inde auri, argenti, ac complures Smaragdos domum retulisse. Quo intellecto quosdam eo ablegavit nautas, sed cùm in via Indus, qui eos duxerat, moreretur, non processere ulterius, ac duobus ibi substitere mensi-

bus; contrahentes cum Indis ultra ſexaginta leucas a mari remotis. Provincia iſta *Iisbia* vocatur, paretque Zelandis; neque unquam illis commercium cum Hiſpanis fuit, ac ſecurè iter faciunt incolæ undiquaque verſùs. Hiſtoriam iſtam fortè fortuna audiebam ab iſto navis gubernatore Belga: unde nonnulli noſtrum, conjicientes Iſraëlitas eſſe illos, propoſuerant remittere eum, ut ea penitius inquireret: Sed citâ morte decedebat anno proximè elapſò; unde videtur non permittere Deum, intentiones iſtas ullum ſortiri effectum ante dierum finem.

Sect. XIII.

PLus tamen fidei habeo relationi Montezini noſtri, Luſitani, ac noſtri ordinis Judæi; nati in urbe *P*ortugalliæ, cui nomen Villefleur; honeſtis, ac notis parentibus, hominis quadragenarii, probi, neque ambitioſi. Ivit in Indias, ubi inquiſitionem paſſus eſt, ut ſucceſſor multorum, qui in *P*ortugallia nati ab iis deſcenderunt, quos Rex

*P*or-

Portugalliæ Don Manuel Christianam religionem amplecti coëgit, (*O actionem iniquam, & injustam*, ait Osorius; & paulò pòst, *fuit quidem hoc neque ex lege, neque ex religione factum*) Et tamen hodie clam religionem suam servant, quam mutaverant vi ad id adacti. Inquirebat ille liberatus ab inquisitione hæc curiosiùs, quàm dici possit, & compellabat homines istos sæpissimè; neq; acquievit dein, priusquam huc venisset, nobisque nova adeò læta communicasset. Multa verò in itinere isto perpessus est, & ad summam pauperiem redactus, eò quòd in nullius ædibus victum sumeret, & laborem suum compensari nollet. Ego ipse sex integris mensibus, quos hic vixit, familiariter ipso usus sum; & aliquoties in præsentia honestorum virorum juramentum ab eo exegi, quo vera esse, quæ narrabat, confirmaret. Abiit dein Phernambucum, ubi biennio pòst, facto etiam eodem ibi in agone mortis juramento, decessit. Quæ si ita sunt, cur non credam homini virtuti

tuti dedito, omnisque lucri, quod lucrum æstimamus homines, osori. Et quis scit, an non Prognosticæ Mohanesi à Montezino nostro laudatæ brevi appareat veritas, conformis illi, quam Jacobus Verus Astrologus Pragensis scriptam post apparitionem Cometæ orti anno 1618, dedicavit Celsissimæ Principi Palatinæ, ubi hunc in modum disserit. Cometa Meridiem versus se movens notat urbes, ac provincias, quibus Deus minatur, fore Indiæ Occidentalis, quæ a Rege Hispaniæ descíscent; qui sentiet id damnum esse expectatione sua majus, non quod spontaneo motu Indi rebellaturi sint, sed quod ab aliis ab altera parte, ad rebellionem contra Regem sint impellendi. Neque id prædicebat saltem Cometa, sed & Eclipsis solis illis in terris anno præcedenti visa. Hactenus Astrologus. Antiqui Rabini nostri ajunt, quod quamquam Astrologis non in omnibus habenda sit fides, non tamen omnis iis sit deroganda, utpote nonnunquam vera præsagientibus.

SECT. XIV.

HAEc quo ad Indiam occidentalem, de qua etiam interpretari possis, eò quòd in medio mari sita sit, ac ob magnum insularum ejus numerũ, Esaiam cap. 60. vers. 9. *Me enim insulæ sperabunt, & naves Tharsi in principio ut adferant filios ex longinquo, cum argento, & auro eorum.* Jeremiam cap. 31. v. 9. *Audidite verbum Dei o gentes, & annuntiate illud insulis remotis, dicentes, qui segregavit Israelem, rursum congregabit.* Davidem Psalm. 97. *Deus regnavit, gaudebit terra, & exultabunt multæ insulæ.* Ubi pars decem tribuum habitat in hunc diem incognita.

SECT. XV.

SCiendum nunc est, non omnes decem tribus eodem tempore fuisse captas. Phul enim Assyriorum Rex, ut in secunda parte Conciliatoris mei doceo, vicit, & abduxit tribus Rubenis, Gadis, & dimidiam Manassis, sub regno Peca, ut videre est primo Chronico-

nicorum cap.5. vers.26. & Iosepho lib.9. cap.11. Tiglad Pilessar octo pòst annis cepit Hiun, Abel, Beth, Maacha Azar, Azor, Guilad, Galilæam, omnemque terram Naphthali, & captivos omnes abduxit in Assyriam 2. Regum cap.15. vers.29. Salmanassar ad extremum Assyriæ Rex novem annis pòst sub regno Oseæ filii Elach triennali obsidione Samariam cinxit; quâ vi capta, Oseam cum cæteris tribubus itidem cepit 2. Reg.xvii.v.6. De tribus istis temporibus loquitur Esai.cap.8. v.23.dicens, primam captivitatem fuisse facilem, si conferas eam cum ultima adeò gravi, ac intolerabili: in qua finem cepit regnum, & Monarchia Israelis.

Sect. XVI.

DEvictas itaque diversis temporibus decem tribus credendum est varia in loca fuisse dispersas. Ut existimamus, petiisse ipsas Indias Occidentales per fretum Anianis; ita putamus ex Tartariâ ivisse eas in Chinam per murum istum adeò celebrem; qui

qui in utriusq; est confinio. Argumentum, quo id probamus, nititur auctoritate duorum Jesuitarum, qui iis in terris collegia sua fundavere.

Nicolaus Trigautius Belga in tractatu de Christiana expeditione susceptâ apud Sinas ab Societate Iesu; Annis, inquit, superioribus; Judæos etiam in hæc regna confluxisse deprehendimus; Nempe cùm Societas jam ab annis aliquot in Pequinensi regia sedem fixisset, Judæus quidam P. Matthæum Riccium accessit. Is in provinciæ *Honan* metropoli *Chamfamfu* natus *Ngay* cognomento dicebatur; & jam in Licentiatorum ordinem adscriptus ad solita doctoratus examina Pequinum advolârat. At verò, cùm in libro quodam de rebus Europæis à Chinensi doctore conscripto legisset, Patres nostros non esse Saracenos, & aliud nullum numen nosse, præter Cæli, terræq; Dominum, ac sibi persuaderet nostros esse legis Mosaicæ Professores, cum P. Matthæo Riccio Templum ingressus est. In ara exposita erat effigies Deiparæ, & pueruli

pueruli Jesu, quem S. Johannes præcursor flexis genibus adorabat. Erat enim is dies Divo Johanni Baptistæ sacer. Judæus ratus effigiem esse Rebeccæ, puerulósque Jacobum, & Esavum, supplex imaginem veneratus est, præfatus tamen se imaginem nullam venerari solere, hos tamen se gentis suæ parentes non posse non honorare. Roganti an quatuor Evangelistæ ab utroque aræ latere positi essent quatuor è duodecim Jacobi filiis, annuit pater, arbitratus eum de 12 Apostolis loqui. Judæus postea, ubi Israelitam se esse patri declarâsset, in Biblia Regia incidit, agnovit characteres Hebræos, tametsi eos legere non posset.

Ex hoc audierunt nostri ibi decem duodecimve Israëlitarum esse familias, & Synagogam perelegantem, quam nuper 10000 aureorum instaurarant. In ea se v. libros Mosis magna veneratione per annos 600 asservare. Asserebat etiam in Chequionæ provinciæ metropoli Hamcheu longè plures esse cum sua Synagoga fami-

lias

lias, & alibi quoque multas ſine Synagoga degere, eò quòd paulatim exſtinguantur.

Multa ex veteri Teſtamento referens, in efferendis nominibus ſono non parum à noſtris differebat. Dicebat nonnullos ex ſuis ſermonis Hebræi non eſſe ignaros, ſe verò eum neglexiſſe, quoniam à puero literis Chinenſibus inſudarat. Qua de cauſa ab Archiſynagoga ſuorum cœtibus indignus prope judicatus erat. Id tamen ſe unice curare, ut doctoratus gradum adipiſceretur.

Triennio poſt pater Matthæus Riccius uno ex fratribus noſtris in metropolim iſtam miſſo, vera omnia eſſe comperit. Initia & fines librorum, quos in Synagoga ſua obſervabant Judæi, contulit cum noſtro Pētateucho, nihilque vidimus diverſum, præterquam quod characteres punctis carerent.

Alter Ieſuita eſt Alfonſus Cimedro, qui itidem teſtatur complures magno numero in provincia *Oroenſi* in Occidentali

dentali Chinæ parte sitâ, esse Judæos, qui adventum, ac passionem Iesu, planè ignorent. Ex decem esse tribubus inde colligit; quam etiam sententiã amplector, quia multi ritus Judaici à Chinensibus observantur, quos videre est in libro aliquo manuscripto, quem habet Generosus, & Nobiliss. Ioachimus Wicofortius. Et quidni aliqui illorùm ex Chinæ regno navigârint in Novam Hispaniam per fretum, quod fluit inter Chinam, ac Anianis, & Quiviræ, regna, quæ jam confinia sunt Novæ Hispaniæ; indéque concesserint in Insulas Panamæ, Peru, aliásque illic sitas.

Hi meo judicio Chinenses illi sunt, de quibus loquitur Esaias cap. 49. v. 12. agens de reducendo in patriam Israele: *Ecce qui a longinquo, & qui a septentrione, & qui ab Occidente, & qui ex terra* סינים *Sinensium. etc.* & ita Ptol. lib. 7. cap. 3. Tab. 11. vocatur *Regio sinarum.* Et hæc est vera verbi istius interpretatio. Errat enim Aben Ezra, qui deducit à סנה *Sene Sylva*, quam in Ægypto locat.

Sect. XVII.

FAcilè etiam crediderim decem tribus, vt, cùm numero essent auctiores, extēderunt se in provincias supradictas, ita excurrisse in Tartariam. Sanè Abrahamus Ortelius in tabula Tartariæ Theatri Orbis notat locum Danitarum, cui nomen *Horda*, qui idem est cum ירידה Icrida *descensus*. Et inferiùs mentionen facit loci *Naphtalitarum* (*Hordæ*) à Peroza anno 476. occupati. Exaggerat verò Historiam belli hujus Schikhardus in suo Tarich, sive Regum Persiæ serie, ubi ex Agathiæ libro IV. ita loquitur: *Aliquandiu pòst, cùm ab hoc malo* (septennali siccitate) *requievissent, Imp. Zenonis tempore duplex bellū gessit iste Firuz cum Nephtalitis, in quo tandē perijt. Nam primo ad angustias ignotorum locorum redactus, eâ conditione pacem impetravit, ut & lacessere illos se posthac nolle juraret, & coram victore suo, in signum subiectionis, incurvaretur: quod posterius ex consilio Magorum callidè fe-*

cit, captatâ occasione contra solem orientem ingeniculatus, ut illum potius more patrio adorasse, quàm in hostis honorem genua flexisse putaretur a suis. Verùm nec prius illud, quamvis diplomate insuper firmatum sanctè satis præstitit: quia enim hanc adorati hostis ignominiam concoquere nesciebat, eum instaurato exercitu denuò aggressus est; sed iterum iniquitate locorum circumventus, in magnâ quadam quadam voragine cum plurimis vitam finivit miserè, quam Nephthalitæ per insidias ipsi paraverant, calamis, & ingestâ terrâ, supernè constratam; relictis etiam in medio quibusdã eminentijs, & arboribus, ubi excubitores commorabantur, ut fraus lateret magis, & Persæ in fossam alacriùs irruerẽt. Ita perfidiæ pœnas luit rex temerarius, & (Agathiæ judicio l.4.) plus audaciâ, quàm consilio, pollens. Diploma illud, quo pacem sanciverat, hastæ appensum fuit, & occurrenti eminus monstratum, ut jurisjurandi admonitum maturè pœniteret, aliq; cœpto desisteret: sed id parùm curavit. Cùm autem inopinato casu sibi moriendum esse cerneret, fertur unionem,

quem

quem cure dextrâ pendentem gerebat insolitæ magnitudinis, & candoris, avulsisse, ac, ne quis mortalium post se reperiret, (verisimilius, ne cadaver agnosceretur) projecisse longiùs.

Quinam verò Naphtalitæ fuerint, inquirit idem Author? multisque probat, Iudæorum esse reliquias: *Ego,* inquit, *arbitror omnino, esse Iudæorum reliquias, de Tribu Nephtalim, quas Tiglat Pilæser Assyrius in ea loca reduxit* II *Reg.* 15.29. *Nam.* 1. *nomen in castigatis exēplaribus Agathiæ, quæ Levvenclavius recensuit, ad amussim consonat: cæteris unica tantùm aspiratio deficit, quod fortuitò ita congruere in polysyllabicâ voce vix possible foret.* 2. *Ipsa facies eos prodit; nam Procopius.* 1.c. *docet, non esse fœdos aspectu, sicut Hunni sūt, inter quos habitant, sed solos ibi locorum albos; ut manifestè agnoscantur aliunde illuc immigrasse.* 3. *Mores conveniunt: nam idem Author asserit, non esse Nomades, ut Hunni, qui vagis sedibus unum locum depascunt post alium, sed certam incolere regionem: præterea jus & fas observasse, velut Romani,*

ae politicos esse, qui benè regantur à suo principe: quod utrumq; inter vicinas gentes rarum est. Denique mortuos non, more barbarorum, abijcere, sed honestè in terra sepelire. 4. Testantur Itineraria illorum, qui ad mediterraneas regiones Asiæ orientalis penetrarunt, plurimos ibi degere Iudæos, maximè verò montes occupare. R. Benjam. f. 23.

ומשם מהלך כח׳ יום להרי ניסבור אשר על נהר גוזן ויש שם אנשים מישראל בארץ פ״ס שהם משם ואומרים כי בערי ניסבור ארבעה שבטים מישראל שבט דן ושבט זבולן ושבט אשר ושבט נפתלי הגולה הראשונה שהגלה שלמנסר מלך אשור כמו שכתו׳ ויגלם בחלח ובחבור נהר גוזן וערי מדי ומהלך ארצם עשרים יום ויש להם מדינות וכרכים בהרים מצד אחר מקיף אותם נהר גוזן ואין עליהם עול גוים כי אם נשיא אחד עליהם ושמו רבי יוסף אמרכלא הלוי ובניהם תלמידי חכמים זורעים וקוצרים והולכים למלחמה לארץ כות:

Inde (à finibus Persiæ) iter est XXVIII dierum ad montes Nisebor, qui sunt juxta flumen Gozan. Israelitæ, qui veniunt inde in Persiam, ajunt, ibidem in urbibus Nisebor superesse quatuor tribus, nimirum Dan, Zabulon, Aser & Naphtali, captivi-

tatis

tatis primæ, quas illuc deportârit Salmanasser Assyrius; ut scriptum est 2, Reg.c. 17,v,6, abduxit eas in Lachlach, & Chabor, flumen Gozan, montesque Madai. Ambitus regionis illius est 20 dierum: tenentque urbes & castella in montanis, quæ ex uno latere alluit fluvius Gozan: nec illis incumbit jugum gentium, sed habent Præfectum super se, nomine R. Ioseph Amarkela Levitam & sunt inter eos studiosi sapientiæ. Seminant quoque, ac metunt, imo proficiscuntur in bellum ad regionem Cuth.

Addit ibidem Ortelius, in regione *Tabor*, aut *Tilur*, Solino laudatâ c. 49. morari populum, qui, licet sanctos libros amiserit, paret uni regi: qui venit in Galliam anno 1530, ac locutus est Francisco primo, combustus verò Mantuæ jussu imperatoris Caroli v, eò quòd clam Iudaismum doceret Christianos Principes, ipsũ que adeò Imperatorem. Idem recitat Boterus in relationibus suis de ultima Tartariæ parte. Sed enim uterque malè edoctus est; at Rabbinus Ioseph Cohen, homo fide dignus, hæc narrat ve-

riùs in ſua Chronologia; docens, Iudæum, qui ex iſtis terris venit, fuiſſe fratrem Regis Iſraelitarum, Davidem Rubenitam dictum, viſiſque in tranſcurſu Indis in Luſitaniam veniſſe, ubi regis Secretariū ad Iudaiſmū convertit, qui cum ipſo inde fugiens nomen Selomoh Molho aſſumpſit, et brevi tempore adeò familiarē ſibi fecit legem, imo ipſam cabalam, ut in admirationem ſui totam raperet Italiam. Secretarius igitur unà cum Rubenita Papam, Carolum V. & Regem Franciſcum I. ad Iudaiſmum allicere conabatur. Selomoh Molho Mantuæ captus, ac vivùs combuſtus eſt, anno 1540, vitâ tamē ipſi ante cōceſſà, ſi Chriſtianū ſe vellet profiteri. Rubenita verò a Carolo v. in Hiſpaniam abductus in carcere paucis pòſt diebus expiravit. Rubenitæ meminit quoque Abraham Friſol Orhot olā his verbis: Quadraginta quinque anni ſunt, quòd ex Tabore, Tartariæ provincia, in Europam venerit David Rubenita, Iſraelitarum Princeps, qui

ibi loci duas eſſe Tribus teſtatur, aliáſque paulò ulteriùs, ſub regibus, ac Principibus ſuis, magnóque adeò numero, ut dici non poſſit.

Forte provincia *Tabor* eadem, quæ *Habor*, cuius mentionem fieri videas 2 Regum cap. 17. v. 6. ubi dicitur ab. duxiſſe eos Salmanaſſar in *Halach*, & *Habor*, propter Hebraicarum literarum ה et ח ſimilitudinē. Iſtis ex terris venit ante quingentos annos Iſraelita Eldad Danita ex Tribu Danis, (cujus hodie adhuc videtur litera, quam vocamus ספר אלדד הדני Scepher Eldad A-Dani) quia Rabbinis examinatus homo probatæ fidei agnoſceretur. Doctiſſimus Rabbinus David Kimhi, qui ante annos 450. vixit, in etymologico ſuo in voce שגה ſequentia dicit וכתב רבי יונה בשם רבי יהודה בן קריש כי הוא שמע מאלדד הדני יש לי שגיה במקום יש לי עסק *Rabbinus Ionah ſcribit de nomine Rabbi Iudæ Aben karis, quòd audierit dicentem Eldadem Danitam, ſi quando occupatus eſſet: Habeo* שגיה *Segiah*, & ita id, quod ſupra diximus, verum eſſe ex allatis teſtimoniis elucet.

SECT. XVII

PArs X Tribuum etiam in Æthiopia habitat in Regno Abyssinorum, ut varij Abyssini retulere Romæ. Refert idem in suis relationibus Boterus, ad Nilum vivere duas potentes nationes, unámque Israëlitatum esse, ac a potēte Rege gubernari. Cosmographus aliquis, qui notas addidit ad Tabulas Ptolemæi, hæc ait in Tabula Novæ Africæ; Ista Novæ Africæ pars antiquis fuit incognita, originem Nili ignorantibus; quæ est in montibus Lunæ, ut veteres eos vocant, ubi habitat ingens Israëlitarum numerus, Presbytero Ioanni tributa solventium. Rabbinus Abraham Frisol in eodem, quem diximus, libro affirmat, suo tempore nonnullos, qui in istis regionibus fuerant, idem Herculi, Ferrariæ Duci retulisse; Atque secundúm hæc non dubium est, quin Abyssini ab iis circumcisionem didicerint, celebrationem Sabbathi, plu-

resque alios ritus Iudaicos. De his videtur loqui Esaias cap. XVIII. *Væ terræ, quæ sub umbra velorum navigat trans fluvios Æthiopiæ: a quibus* propheta ait *missum iri legatos in navibus iunceis*, qualibus utuntur Æthiopes, *Almadias*, vulgo dictis. *Adducite populum patriâ suâ expulsum, & dilaceratum, ac miserabiliorem quoquam inter nos. Adferet dona Domino Sebaoth in loco, ubi celebratur nomen Domini Sebaoth in monte Sionis*. Confirmat idem propheta Sophonias cap. 3. v. 9. *Tunc dabo populis, ut puriori lingua prædicantes omnes convocent in nomine Dei, cui cum eâdem reverentia inservient: inde ab altera parte fluviorum AEthiopiæ Hatray bat Pussay* (nationes AEthiopicas) *mihi in donum adferent*. Id quod convenit cum versu Esaiæ: *Et adferent fratres vestri* (qui sunt decem tribus) *dona Domino*.

SECT. XVIII.

NEque etiam dubium est, quin in Media habitent, inde trans Eu-

phratem, quò primo fuerant abducti, vt constat ex 2. Regum cap. 17. v. 24. Et ex l. Tobiæ. Flavius Iosephus etiam de iis loquitur in procemio lib. de bello Judaico, dicens; Iudæos existimare, Fratres suos, qui ab altera Euphratis parte, ulteriúsque morabantur, rebellaturos contra Romanos. Agrippa in oratione ad Hierosolymitanos habita, ne contra Romanos rebellarent, hunc in modum loquitur: Et quos vobis speratis rebellionis vestræ, ac belli socios? An non omnes orbis habitabilis incolæ Romanis tributa solvunt? Fortè quisquam vestrũ illos, qui trans Euphratem vivunt, auxiliaturos sperat. Et li. 2 Antiquitatum c. 5. agens de iis, qui redibant Babylone Hierosolymam Esdræ tempore: *Sed omnis Israel*, inquit, *habitabat in Media*, *eò quòd duæ tribus tantùm in Asia*, *& Europa*, *habitent*, *& Romanis subiecta vivant*; *ut reliq; decem ab altera Euphratis parte*, *ubi tanto sunt numero*, *ut censeri nequeant*. Non itaque dubitandum est, crescente ita post primam transmi-

gratio-

grationem populo, alias sedes, quas supra enumeravimus, ab eo quæsitas.

Sect. XIX.

VLtimò omnibus id persuasum est, partem decem tribuum habitare trans flumen Sabbathionis, aut Sabbathicum. Rabbinus Johanan, author Thalmud Hierosolymitani, qui vixit annis 160 post destructionem secundi templi, docet in tractatu Sanhedrim cap. 17. decem tribus transmigrasse tria in loca; nempe ad flumen Sabbathicum, ad Daphnen Antiochiæ *suburbium*, & eò ubi nubes descendit, ac eos contexit: & ex tribus locis istis redemtum eas iri. Ita nempe explicat versum illum Esaiæ cap.49, *ut dicant captivis, exite*; illis scilicet, quos ad flumen Sabbathicum ablegarant, *& illis, qui sunt in tenebris, estote detecti*: illis nempe, qui nube sunt circumdati, *& omnibus in viis reficientur*, illis, qui vivunt in Daphne Antiochiæ, quæ in Syria est; ut

hinc

hinc videatur male vertisse Clarissimus vir l' Empereur, *ad latera Antiochiæ*, cùm דפני *Daphne* sit nomen proprium luci amoenissimi prope Antiochiam. Nubis istius meminit Sedar Olam, & vocat *montes obscuritatis*; & in Thalmud tractatu Sanhedrim c.xi. Rabbinus Ionathan ben Uziel, qui vixit centum annis ante destructionem secundi templi; in Exodi cap. 34 vers. 10. ubi dicit Dominus: *Miracula faciam in præsentia omnis populi tui, qualia nunquam fuere facta in tota terra, aut aliqua in gente*, &c. refert omnia illa ad transmigrationem populi.

ואשרינון מן לגיו לנהר סבטיון וכאינון פרישן לא איתבריו בכל דיירי ארעא :

Trahet eos in fluviis Babylonis, transferetque ad fluvium Sabbathicum, docebitque, ut miracula illa nulli unquam orbis habitabilis genti fuerint præstita. Referunt antiqui Rabbini nostri in Beresit Raba, libro non vulgaris notæ, in Perasach, Tornunso roganti, unde constaret, diem, quem celebramus, septimum esse, quo post creationem

mundi

mundi quievit Deus, reſpondiſſe Rabinum Aquebah (qui vixit quinquaginta duobus annis poſt deſtructionem ſecundi Templi) argumento à lapidibus fluvii Sabbathici ducto, qui ſpatio ſex Dierum continuo motu agitati die ipſo Sabbati quieſcunt,&nō moventur.Idem docetur in Talmud Babylonico tractatu Sanhedrim cap. 7. & in Tanua Peraſach cap.9. In eodem Bereſith Raba in Peraſach 73.dicit Rabbinus Simon עשרת השבטים גלו לפנים מן נהר סבטיון יהודה ובנימין מפוזרים בכל הארצות.

Decem tribus fuere deductæ ad fluvium Sabbathicū;Iudæ verò,& Benjaminis,ſunt diſperſæ per omnes terras. In Aſirim Raba, ultimo verſu canticorum, ibi, *etiam noſter lectus refloreſcens*, dicitur, quòd ſint decem tribus, quæ deductæ fuerint ad fluvium Sabbathicum &, ut fluvius iſte aſſiduè movetur, ita decem tribus ibi ſemper manſerint incluſæ: ſeptimo enim die quieſcente fluvio vetitum eſt per legem noſtram iter ingredi, eâque de cauſſâ

mira-

miraculosè mansere ibi,ut perditæ, ac à nobis abditæ. Et ita de iis explicatur in Ialcut versus iste capitis quadragesimi noni Esaiæ, *ut dicatur captivis, Exite.* Rabbi Aquibah explicat eodem modo versum 38. cap.36. Levitici. *Et perditi eritis in gentibus*: ac versum ultimum Esaiæ cap. 27.

Et venient perditi in Assyriam. Quia autem à reliquis remoti sunt, alius Rabbinus in Bamidbar Rabba Parasa 16, applicat illis versum cap.49. Esaiæ: *Et ecce illos, qui è longinquo venient*; ut ita omnes autores isti mentionem fluvii istius faciant. Illustre itidem est testimonium Flavii Iosephi lib 7. de Bello Iudaico cap. 24, narrantis, *Titum Imperatorem inter Arcas, & Raphaneam, urbes regis Agrippæ, transeuntem, vidisse fluvium mirabilem, qui, utut rapidissime feratur, quovis tamen septimo die exsiccetur; eo verò elapso die ordinarium cursum resumat, quasi nulli mutationi obnoxius, eundemque semper servet ordinem. Sabbathicus verò à sacro Iudaeorum festo dictus sit, eò quòd quietem eo-*

rum septimo etiam die imitetur. Scio, nonnullos aliter interpretari ista Iosephi verba; sed enim, quàm non assequantur illius mentem, vel inde apparet, quod fluvius ipsi Sabbathio, vel Sabbathicus, vocetur; quod vocabulum cum non ab alio, nisi a Sabbatho derivari queat, quis non videt, etiam ipso Sabbathi die cessare fluere, nec moveri fluvium; eòque ita, ut nobis dictum, intelligendum Iosephum? Sanè confirmat opinionem hanc Plinius lib, 1. Nat. Hist. cap. 2. *In Iudæa*, inquit, *rivus Sabbatis omnibus siccatur:* Errat tamen, meo judicio, Plinius, maléque edoctus est, cùm ait *in Iudæa* fluvium esse. Neque enim in ipsa eum invenias Iudæa, sed alio in loco, ubi complures Iudæi vivunt.

Rabbi Selomoh Iarchi, qui vixit ante 540 annos, etiam meminit istius fluvii in commentariis Talmudis; dicens, lapides, atque arenam, istius fluvii omnibus sex diebus septimanæ continuè moveri usque ad septimū. Rabbi Mardocheus Iaphe in doctissi

mo libro suo Iephe Thoar, ait, a Sabbatho sabbathionem derivasse Arabes, qui adiectivis particulam יון *ion* addere soleant. Affirmat idem, dictum sibi de vitreo tubo aliquo, arenæ Sabbathionis pleno, continué usque ad Sabbathum se moventis. Idem & ego me audiisse testor ab ipso Patre meo; quòd testimonii genus tanti facio, ac si vidissem ipse; (neque enim Patres filiis quicquam imponere solent) Retulit is mihi, fuisse Lisbonæ Arabem, qui talem haberet tubum, ac quovis veneris die per plateam, quæ *rua nova* dicitur, circa vesperam deambularet, monstransque eum Iudæis, Christianismum simulantibus, diceret: *Claudite officinas Iudaei*; vénit enim jam Sabbathum. De alio tubo narravit mihi aliquis fide dignus, quem habebat ante aliquot annos ante portam Myskeræ. Viderat forte eum illac transiens Cadi, sive judex illius loci, sciscitatusque; quid esset? tolli jussit; reprehendens Mahumetanos, quòd eo ipso Iudæorũ sabbathum confir-

maſſent.

massent. Non loquerer de istis tubis, si non moveret me tanti viri, quem allegavimus, auctoritas, quamquam persuasum habeam, Deum non id tantum fecisse miraculum, ut asservaret ibi partem decem tribuum; sed & alia, quæ videre est apud Esdrā.

Rabbi Moses Gerundensis Caballista doctissimus, & legis interpres, in Parasa Aazinu, Sabbathionem eundem esse censet fluvium, qui est גוזן Gozan, a גוז denominatus, quod abripiendi significationem habet, quia videlicet, exceptâ duntaxat septimâ, cæteris omnibus diebus vel ipsa etiam saxa præcipiti cursûs celeritate secum rapiat.

Huius fit mentio II. Regum, quò etiam Rex Assyriorum captivas abduxerat: & sic Beniamin Tudelensis in Itinerario suo narrat, Decem tribuum partem ad ripam fluvii istius habitare. Vbi verò flumen *Gozan* situm sit, ignoro. Anno 5394, hoc est, ante annos quindecim, in civitate Lubini duo Poloni, postquam jam diu

peregrinati essent, scripserunt germanicè libellum de origine fluvii Sabbathici; sed senatus in nundinis Wersslaviæ jussit comburi, persuasione Jesuitarum. Abraham Frisol in suo Orchot Olam c. 26. vult esse fluvium hunc in India מוצא נהר סבטיון בגלילות האינדיאה הזאת העליונה בין נהרי גנגים *Origo fluvii Sabbathici,* inquit, *est in regione Indiæ superioris, inter fluvios Gangis.* Et paulò pòst נהר סבטיון למעלה מקליקוט מוצאו ומפסיק בין האינדיאני והם לקצת מלכות היהודים ושם תמצאנו בודאי *Fluvius sabbathicus originem suam habet ab altera parte Kalikout* (quæ jacet longè supra terminum Lamiki, quem ultra sinum Barbaricũ locat) *separátque Indos a regno Iudæorum, quem certò ibi invenies.* Quamquam ille גוזן *Gozan* pro Gange habeat ob scripturæ גנגז affinitatem: nec sanè dubium, quin ibi loci multi Iudæi inveniantur, teste Ioã. de Bairos in suis decadibus. Eldad verò Danita de quatuor tribubus agens, quas ad Gozanem locat, ait; נהר סבטיון בינידהם *Fluvius sabbathicus est inter*

inter eos. Iosephus ait, Titum vidisse Sabbathionem inter Arcas,& Raphaneam. Quod testimonium eò videtur certius, quò minùs dubitandum est, non de eo dicturum Iosephum quid falsi, a quo posset statim reprehendi. Ego sic verò, quanquam non solus, sentio, non procul a mari Caspio quærendum esse.

Quicquid autem sit, constat fluvium hunc alicubi esse, partemque X. Tribuum illic latere: ac dixerim cum Mose Deuteronom. XXX. *Et ejecit eos de terra sua Deus in ira, & in furore; abscondita domino Deo nostro*; quia nescitur, quando in patriā reversuri sint: nec demonstrari perfectè queat, ubi sint, permittente id Deo, ut loquitur idem postea cap.32. *Statueram quidem eiicere eos usque ad extremitates terræ, ac tollere memoriam eorum è mortalibus.* Quasi diceret, rejiciam eos ad ultimos orbis fines, vt nullus eorum meminerit; ac proinde rectè in sacris *incarcerati*, & *perditi* vocantur.

Sect. XX.

NEc valet argumentum à quibusdam mihi motum: si in mundo sunt, cur non ipsorum nobis est major notitia? Nempe etiam multarum rerum, quas novimus, non novimus tamen originem; & an non hactenus quatuor fluviorum Nili, Euphratis, Gangis, & Tigridis, latuere nos fontes: certum etiam est perquam multas esse terras nobis incognitas. Vlterius, quamquam nonnulli in terris cognitis, & vicinis, habitent, latent tamen post montes, Ita accidit sub regno Ferdinandi, & Isabellæ, ut casu invenirentur *Batuecae Ducis Albani*, decem tantum milliaribus Salamanticâ distantes, vicinique Placentiæ, quo confugére nonnulli Hispani, cum Mauri Hispaniam occuparent, eámque totis octingentis annis habitarent. Si igitur in medio Hispaniæ latuere tamdiu gentes aliquæ; quid ni latere dixeris eos, quos à nemine

mine

mine perfectè cognoſci ante dierum finem vult Deus.

Atque hæc quidem ſunt nobis collecta, quæ habitacula decem tribuum ſpectant; quas adhuc ritus Iudaicos obſervare credimus, vt conſtat ex 2. Regum 22. vers. 26. Ibi Iſraelitis à Salmanaſſare captis, miſſisque in regionem eorum Cutheenis, ſacerdos aliquis Iſraelitarum a Rege mittendus fuit, qui eos inſtrueret, eò quòd, cùm ignorarent iis in terris alias celebrari ceremonias, a leonibus moleſtarentur: Vt vidit autem ſacerdos non fieri poſſe, ut in totum Idololatriæ renunciaret populus, plures adorare Deos conceſſit, modo unum omnium motorem agnoſcerent. Idem ex omnibus etiam Hiſtoriis, quas enarravimus ſatis ſupérque evincitur. Obſervant enim fratres noſtri legem majori cum zelo extra patriam; ut non dediti ambitioni, aut rixis, quæ ipſis cum familia Davidis interceſſerant, quo pacto facilè in vera religione errare, Hieroſolymam non agno-

scere, atque obedientiam Domino, ejusque templo, debitam retractare possent.

SECT. XXI.

DOcemur etiam ex primo Esdræ, neminem ex decem tribubus secundum Templum introiisse; cùm nempe dicantur tantùm rediisse quidam ex tribubus Iudæ, & Beniaminis. Idem ille Esdras scribit in 1. paralipomenôn, Salmanassarem eiecisse decem tribus in Halach, Habor, Hara, & ad fluvium Gozanis *in hodiernum usque diem*, vt isto tempore ibi eas fuisse colligas. Consentit Iosephus *Antiquitatum Iudaicarum lib.* 11. *cap.* 5.

Fortè quis dixerit mihi; cùm Media, & Persia, Babyloniæ sint confines, cur non cum duabus tribubus Hierosolymam rediere? Dicam, quòd cùm pauci adeò ex duabus tribubus Hierosolymæ admodum propinquis eò concesserint, eò quòd iam in Babylonia firmam fixisse sibi sedem viderent-

derentur, aut quòd à Prophetis edocti essent, non expectandam sibi esse aliam redemptionem, præter illam, quæ sub finem dierum futura est; cur qui remotiores essent, idemque accepissent a Prophetis, eò migrarent, novas fortè miserias, ac calamitates perpessuri. Quid quòd non nisi duabus tribubus Iudæ, ac Beniaminis, licentiam redeundi Cyrum dedisse legimus. Credibile etiam est, quòd, vt nonnulli auctores tradunt, eò transire non potuerint, quia essent ipsis continua cum vicinis bella

SECT. XXII.

HActenus ostendimus, variis in locis habitare eas, vt in Indiis occidentalibus, in Sina, in finibus Tartariæ, inde trans Sabbathionem, & Euphratem, in Media, in Abyssinorum regno, de quibus explicandus videtur Esaias cap. 11. Vbi, de Messia agens, ita loquitur. *Futurum quoque est, vt illa die dominus secundò manum suam* ad-

admoliatur, ut possideat, quod reliquum populi sui factum est ab Assyria, ab Ægyptio, a Patros, ab Æthiopia, ab Elam, a Sinèar, ab Hamad, & ab insulis maris. Vnde colligere est, intelligi loca ista, in quibus decem tribus morantur. Nempe Syria & AEgyptus, erunt loca conventus universalis, quemadmodum postea dicetur.

פתרוס *Pathros*, non est Pelusium, nec Petra, sed Parthia Caspio mari vicina, vbi cum pluribus fluvium Sabbathicũ esse, conijcio: licet regionẽ Pathros in AEgypto esse haut quaquam negem, quemadmodum bene CL. Samuel Bochardus in Geographia Sacra obseruat.

כוש *Chus*, juxta communem sententiam est AEthiopia, vti liquet ex versu 23. cap. 13. Ieremiæ. Et hocce in loco Ieremiæ intelligendi sunt Israelitæ, quos in Abyssinorum regno supra constituimus.

עילם *Elam*, est provincia in Persia, ut constat ex versu 2. cap. 8. Dan. vbi loca deserta, in quibus forsitan reliquiæ

decem

decem tribuum supersunt.

שנער *Schinar*, est provincia circa Babylonem, quemadmodum videre est ex versu 10. cap. 10. Gen. ubi dicitur Babel esse in terra *Schinear*: & Dan. 1. v. 2. narratur Nebuchodonozarem vasa sacra deportâsse in terram *Schinear*.

חמת *Hamath*, plures numerantur in sacris. Multi interpretantur de Antiochia: quoniam autē duodecim Antiochiæ apud Geographos numerantur, nihil certi possumus de eo statuere: interea mihi videtur esse illa, quæ in Schythia ponitur.

Qui LXX. Dicuntur interpretes per חמת Hamath intellegunt, Solem à חמה, Sol; & vertunt *a Solis ortu*: non malè, vt mihi videtur; nam eâ ratione intelliguntur omnes Israelitæ, qui sunt in Asia majori, India, & Sina.

איי הים *Insulæ maris*; sic ferè omnes interpretantur; mihi tamen videntur esse insulæ Occidentis, nam ים in S.S. significat occidentem, quemadmodum patet ex Gen. 28. 14. & plurimis alijs locis. Et eâ ratione includuntur etiam

illi

illi Israelitæ, qui respectu terræ Sanctæ sunt versùs Occidentem, quos inter etiam Americani sunt.

Sect. XXIII.

ADdit Propheta: *Et attollet signum gentibus, & colliget ejectos Israelis, & congregabit dispersos Iudæ, a quatuor plagis terræ.*

Vbi duo notat, I, quòd Israelitas vocet נדחים *ejectos*: Illos verò Iudæ נפוצים *dispersos*: & ratio est, quòd decem tribus non modò longè sint remotæ à terra sancta, sed etiam in extremitatibus, et finibus, regionum vivant. Vnde a Propheta vocantur נדחים *ejecti.* II, quòd non dicat Israelitas congregandos esse, a quatuor plagis terræ, eò quod non dispersi sint per mundũ ut tribus Iudæ, quæ jã synagogas suas habent non in tribùs tantum mundi partibus, sed etiam in ipsa America. Subjungit Propheta: *et abscedet zelus Ephraim, et hostes Iudæ excidentur*: nempe non erunt discordiæ inter Iudam, et decem

tribus;

tribus, quæ sub Ephraim nomine comprehenduntur, eò quòd primus earum Rex Hieroboam ex ista esset tribu: *Et tunc*, inquit, Ezechiel, cap. 37. *Rex unus erit super omnes ipsos in regem, neque erunt ultra duæ gentes, & non dividentur in duo regna.* Rex nempe ipsis unus erit ex familia Davidis. Item quòd dominus eadem redemtione, quod fecit ex AEgypto euntibus in mari rubro, siccabit Nilum, et Euphratem, dividetque in septem rivulos; fortè ut 7 tribus, quæ in istis plagis habitant, illac transire possint in patriã rediturae, ut dicit Esaias cap. 27. Et erit *illâ die, & excutiet ab alveo fluminis*, (Euphratẽ nonnulli intelligũt) *usque ad flumẽ AEgypti* (Nilũ) *& vos, o filii Israel, sigillatim congregabimini:* quòd sane in captivitate Babyloniæ non est factum.

Dicit Esaias *rediturum eum secunda vice*, etc. quia redemtio Babylonis talis dici non posset, cùm non omnes in patria cõgregati essent. Sed redemtio erit universalis omnibus tribubus, ut erat cùm ex AEgypto exirent. Quæ redem-

tio in multis similis erit primæ illi, ut ostendo in tertia Conciliatoris mei parte: ut ita secunda dicatur respectu Ægyptiacæ. Vnde docet Ieremias *tũ non dicendũ esse, qui Israelem duxit ex Ægypto*, sed *ex septentrione, et omnibus plagis, in quas eos eiecerat.* Vt non faciat mentionẽ exitus ex Babylonia, ob caussam supra relatam.

SECT. XXIV

Idem Prcpheta pleniùs describit reductionem universalem, cap. 43 vers. 5, & 6. *Ab Oriente*, inquit, *adducam semen tuum, & ab Occidente colligam te, dicam Aquiloni, da: & Austro, ne prohibeas: adduc filios meos a longinquo, & filias meas a finibus orbis.* Eò quòd Media, Persia, & China, ab Oriente; Tartaria, et Scythia a Septentrione; Regnum Abyssinorum a Meridie; Europa ab Occidente terram sanctam aspiciant. Cùm verò dicit, *Adducite filios meos de longinquo*, Americam intelligit, ut ita in duobus istis versiculis

lis comprehendat omnia loca, in quibus tribus detinentur. Idem cap. 49, a versu 7 usque ad finẽ refert, eandem reductionem fore felicissimam, & cap. 56. v. 8. dicit Deus: *qui congregat dispersos Israel.* Idem facit Ieremias ca. 33. v. 16. *In diebus illis, & in tempore illo servabitur Iuda, &* Ierusalaim *habitabit securè.* certũ est, assentiẽte omnibus Autoribus nostris Hieronymo, quòd, cùm Iuda cũ Israële cõjungitur, per Israëlẽ, x. tribus intelligantur. Addit insuper c. 31. in consolatione Rachelis quæ dolebat filios suos Iosephum, & Benjaminem, abductos esse; illum a Salmanassare in Assyrian, hunc in Babiloniam a Nebuchadnesare *Quiescat*, inquit, *vox tua a ploratu, oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo.* Et consequenter. cap. 33. v. 7. *& reducam captivitatem Iudæ, & captivitatem Israelis, & instaurabo eos, ut olim fuerunt.* Idem affirmat Ezechiel c. 34. v. 13. & c. 37. v. 16. sub figura duorum lignorum, quibus inscripta erant nomina Iudæ, & Ephraim: quo probat congregationem XII Tribuum subjici-

jiciendarum Messiæ filio Davidis: *Rex*, inquit, *unus erit omnibus imperans*; secutus Oseam cap. 2. v. 2. Idem testatur Amos sub finem suæ prophetiæ, *et convertam*, ait, *captivitatem populi mei Israel, & ædificabunt civitates desertas, & inhabitabunt, & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum: et plantabo eos in terra sua: nec evellentur ultra e terra sua, quam dedi eis, dicit dominus Deus tuus*. Michæas c. 2. v. 12. *Congregatione congregabo, Iacob, totum te, in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum, quasi gregem in ovili*: eò quòd in captivitate Babylonis, non omnes fuere collecti. Zacharias. c. 8. v. 7. & c. 10 v. 6. aliique Prophetæ omnes idem testantur.

SECT. XXV

Quâtamen ratione futura sit illa redemptio, nullus mortalium dixerit; sed, quantũ quidem ex prophetis colligere licet, tempore illo X tribus ve-

nient

rient Hierosolymam, sub ductu Principis, quem Rabbini nonnulli in Talmud, & paraphrasi chaldæa aliquot in locis vocant Messiam filium Ioseph; & alibi, Messiam filium Ephraim; qui cæsus in ultimo bello Gog, & Magog, ostendet se esse Messiam filium Davidis, qui erit, ut dicunt Oseas, & Ezechiel, *princeps æternus omnium* XII *Tribuum*, Messiæ istius filii Ephraimi mentionem faciunt multis in locis sapientes, maximè verò in Thalmud Babilonico in tractau *suca*, c. 5 ubi moriturum eum aiunt in ultimo bello Gog, & Magog, & ita explicant c. 13. Prophetæ Zachariæ: *Et aspicient ad me, quem confixerunt, plangentq; super eo, ut solet super unigenito filio.* Addunt etiam, quòd quatuor duces, de quibus Propheta idem loquitur cap. 11, sunt Messias filius Davidis; Messias filius Iosephi, Propheta Elias, et summus Sacerdos, quæ quatuor istæ dignitates sunt, quæ in isto sæculo beato ostendent potentiam suam. Advertite autem, quòd aliquando vocent Messiam

filium

filium Ephraimi, aliquando Iosephi: Prodibit enim ex tribu Ephraimi, et erit dux omnium decem tribuū, nomen Ephraimo dantium, propterea quòd primus eorum rex Ieroboam ex ista tribu fuit. Non sine ratione vocant ipsū filium Iosephi; ipse enim erat verus typus domi Israelis propter incarceratione͂ suam, ac subsequentem felicitatē. Adde, quòd tamdiu fratres suos latuerit, ut planè iis ignoraretur; prorsus ut hodie decem tribus, quæ, utut captivas se dicant, postmodum tamen ad summum felicitatis fastigium adscendent eodem, ac Ioseph, modo. Iste Messias Iosephi morietur in prælio Gog, et Magog, et postea resurget, ut fungatur dignitate istâ, nō sceptro quidē regis, sed munere tātùm viceregis, ut Iosephus in AEgipto; eò quòd imperium domûs Israelis, quod cecidit sub regno Oseæ filii Elæ, ut ait Propheta Amos, c. 5. v. 2. Non restaurabitur igitur regnum decem tribuum, ut monet Ezechiel c. 37. sub imperio Messiæ filii Davidis, qui

qui erit æternus, et per mortem Messiæ, filii Iosephi, agnoscent X tribus Deum nolle, ut plures habeant, præter unum, princeps; ut suprà diximus.

SECT. XXVI.

TRibus igitur istæ cōgregabūtur ex omnibus terræ plagis in provincias, vicinas terræ Sāctæ, Assiriā nēpe, & AEgyptū; et inde in patriā procedent: qua de re loquitur Esaias cap. 27. v. 13. *Et erit in die illa, clangetur tubâ magnâ; & venient, qui perditi sunt, in terram Assyriam, &, qui ejecti sunt, in AEgyptum, & adorabunt Dominum Hierosolymis in monte sancto.* Quasi dicat; vt clangunt tubæ ad convocandum exercitum; ita convenient, qui interierant, (qui dispersi erant per totam Asiam) in Assyriam, & ejecti (illi, qui sunt in America) veniēt per mare mediterraneum Alexandriam Ægypti; vt itidem illi, qui sunt in Africa: quo tempore exsiccabitur Nilus, & dividetur Euphrates, ut jam monuimus.

Et quoniam collectio captivitatum incipiet ab iis, qui sunt in America, dicit Esaias: *In me sperabunt insulæ, & naves Tarsi* (id est Oceani) *in principio, ut adferant filios tuos a longinquo, cumque ipsis argentum eorum, & aurum*; quo abundant. Ex istis provinciis igitur provolabunt quàm velocissimè, prostraturi se ad montem Domini Hierosolymis, ut dicit de redemtione istâ Oseas cap. II. *Movebunt se, ut aves, ex AEgypto, & ut columbæ, ex Assyria. Qui sunt isti*, ait Esaias, *qui volant, ut nubes, & ut columbæ, in nidos suos*. Illi, qui primi accesserint, hoc insuper fruentur gaudio, quòd visuri sint cæteros quovis momento venientes; quâ de caussâ dicit idem Propheta: *Attolle circumquaque oculos tuos & aspice illos, qui se congregabunt ad Te.* Et quia duæ provinciæ Assyriæ, & AEgypti, primæ humaniter excipient populum Israelis, & notitiam veritatis habebunt, amplectentes primæ omnium religionem Iudaicam, sacrificantes, & orantes Deum, dicit Propheta Esaias cap. 19.

vers.

vers. 25. *Benedictus populus meus Ægypti; & opus manuum mearum, Assyrius; hæreditas autem mea, Israel.* Atque ita intelligendi sunt versus isti.

SECT. XXVII.

OMnia illa verba sanctorum Prophetarum, sunt, ex quibus de reductione Israelis in patriam constat. Tempus illius scire datum est nemini, neque ipsi Rabbino Simeoni ben Iohay, auctori Zoar, revelatum; eò quòd Deus sibi illud mysterium reservavit, vt dicit Moses, *Reconditum est penes me.* Et Esaias cap. 63. *Diem vindictæ in corde meo, & annum, quo futura est redemtio.* Quod ita explicant Rabbini: *Revelavi cordi meo, & non Angelis*; & alibi: *si quisquam tibi dicit, quando veniet Messias, noli credere.* Ita etiam dicit Angelus ad Danielem: *Obserata, & obsignata, sunt omnia vsque ad finem seculi.* Itaque omnes isti, qui tempus illud inquirunt, vt Rabbi Seadiah, Mo-

 ses

ses AEgyptius, Moses Gerundensis, Selomoh Iarchi, Abraham bar Ribi Hija, Abraham Zacuto, Mordehai Reato, & Isaac Abarbanel, lapsi sunt; eò quòd capacitatem humanam superare vellent, ac revelare id, quod celavit dominus. Et ipsi Danieli, qui arcanum illud de mutatione 4. Monarchiarum ostendit, etiam id in eum modum revelatum fuit, vt confiteretur sibi ipsi id non intellectum. Hoc volunt indigitari antiqui nostri literâ istâ ם clausâ in Esaiæ c. 9. vers. 6. ubi dicit לםרבה המשרה *Amplificanti dominium*; quæ cùm finalis sit, in medio tamen dictionis contra universalem regulam ponitur, eò quòd tempus quintæ monarchiæ erit occultum, usque ad tempus, quo incipiet.

Sect. XXVIII.

ID tamen affirmare possumus, sub finem seculi futuram; atque ita loquuntur prophetæ de isto seculo *sub finem dierum*: idque post multos labores

bores, ac longam captivitatem. Biliam etiam ita prædicit? *Video, sed non jam; intueor, sed non propinquum; stella Iacobi procedet.* Esaias cap. 24. *Projicientur in carcerem, ac visitabuntur post multos dies.* Et cap. 49. vers. 14. *Et dixit Sion: dereliquit me Dominus, & Dominus meus oblitus est mei.* Oseas cap. 3. *Filii Israelis multis diebus erunt sine rege, & principe, & post quærent Dominum Deum suum, & Davidem regem suum.* De ista dilatione conqueritur Rex, & Propheta, in Psalmis 44. 69. 74. 77. 83. Et tandem psalm. 89, ubi ita finit, *Recordare o Deus, vituperii servorũ tuorũ, qui patiuntur tantas tot populorum iniurias, spernentium, o Domine, inimicos tuos, ac gressus tui Messiæ.* Quemadmodum adhuc hodie dicitur, quòd, si claudus esset, jam venisse potuisset. Quamquam autem non exactè possimus ostendere tempus redemtionis nostræ, judicamus tamẽ propinquũ esse. Primùm quòd multas Prophetias videamus impletas, aliasque etiam, quæ inserviunt præparationi ejusdem redemtionis:

idq;ex eo constat, quòd, durante longâ istâ, ac importunâ, captivitate, multæ calamitates nobis prædictæ fuerunt sub quatuor monarchiis. Dicit David: *Domine, quando loquor de pace, illi loquuntur de Bello. Occidimur quotidie ob nomen tuum, ac habemur pro ovibus, quæ mactantur.* Esaias cap. 53. vers. 7. *Ducetur, sicut ovis ad mactationem, & sicut agnus coram tonsoribus suis: mutus fiet, & non aperiet os suum.* O quàm hæc edocti sumus in exiliis Angliæ, Galliæ, & Hispaniæ! ô quomodo probavere crimina, quæ nostros commisisse dicebant mendacissimi! Nempe intercepere eos, non ob flagitia, quæ non patrâriant, sed ob opes eorùm, quibus inhabant. O quàm bene edocti sumus omnia ista fieri providentiâ divinâ, eò quòd ista infortunia acciderint plerumque nono die mensis Ab, die infausto, & infelici; quo etiam comburebatur primum, et secundum Templum, & exploratores flebant sine causa.

Sect. XXIX.

QVid dicemus de horribili illo inquisitionis Hispanicæ monstro, quibus non modis sævitū est quotidie in miseros quosvis, innocētes, senes, ac pueros, omnisque ætatis ac sexus: qui cædebantur quia accusatorem latentē divinare nō possent. Sed videamus, cur in omnibus locis istis, in quibus exercetur tyrannicum illius Hispani imperium, fuerint occisi, qui legē Mosis observare vellent; Illa verò quot, & quantis miraculis firmata est? & quid in ea est iniusti? quotidie videmus exempla constantiæ omni laude digna nostrum, qui ob sanctificationem nominis divini vivi cōburebantur: Sanè multi eorum, qui adhuc vivunt, testari possunt omnia illa. Anno 1603 Lisbonæ vivus comburebatur Diogo d' Assumçaō monachus 24 annorū, qui se in inquisitione defendebat contra nonnullos, qui Christianum natum, & Iudæum factum, ad Christianismum reducere vellent: quòd totus

mirabatur populus. Inquisitores dolentes, quòd rationes ipsius, quas allegârat, publicâssent, sententiam voluerunt revocare; sed nimis iam erat serò, quippe ea per totum orbem erat divulgata, quam et ego penès me habeo. Quæ laudes æquabunt martyriū Domini Lope de Vera y Alarcon, qui ex nobili, et illustri, familia oriundus, et in literis Hebraicis, ac Latinis, doctissimus, nostram amplectebatur religionem, nec sufficere ratus talem se esse, aliis multis se declaravit. Anno itaque 1644, ætatis suæ 20, incarceratus Valladolidi multis lucem ostendit in obscuro tum vivens; nec magnus Doctorum numerus, nec major parentum afflictio: aut lacrimis, aut promissis, ab instituto ipsum dimovebant. Seipsum, ô actum mirabilem, ac omni laude dignum! in carcere circumcidebat, ac se nominabat Iudam credentem, ac tandem, ut secundus Isaac, flammis se obiecit, contemtor vitæ, bonorum, atque honorum, quo vitam immortalē, bona non pereuntia, consequeretur

anno

anno ætatis suæ. 25.

Quamquam verò isti non ex familia Israelis oriundi gloriam illam immortalem potiorem vitâ suâ habuerint: Nihil tamen illis ulla in parte cessisse nostros multa exempla docent, ex quibus illud, quod nostris temporibus factum est, memoratu dignum videtur. Isaac Castrensis Tartas, quem novi, & allocutus sum, juvenis eruditus, ac in literis Græcis, & Latinis, versatus, vix Fernambucum venerat, quin, à Lusitanis captus, & Lisbonā abductus, vivus combureretur, juvenis viginti quatuor annorum, Spretis honoribus, ac divitiis, ipsi oblatis, si Christo nomen daret. Qui proditorē fuisse aiunt, mentiuntur splendidè: defendebat nimirum locum, cui præfectus erat, vt miles strenuus; quales se ostendunt nostri in locis illis munitissimis, quæ eorum fidei committuntur. Idem martyrium tulit Limæ Eli Nazarenus anno 1639. 23. Ianuarii, postquam quatuordecim integris annis vixisset in carcere, quibus a car-

ne abstinuit, ne os suum pollueret, séque eo nomine vocabat, postquam se ipsum circumcidisset. Talis martyr etiam fuit hoc anno Thomas Therbinon in urbe Mexico.

Sect. XXX.

SI dominus verbum suum implevit in calamitatibus, implebit idem etiam in felicitatibus. Ideoque Rabbi Aquibah, vt vulpem vidit profugere è templo destructo, plorantibus sociis, risit; dicens Prophetiam illam Ieremiæ, *Et vulpes ambulabunt in eo*, impletam esse: addiditque, secutura etiam, quæ promisisset Deus, beneficia. Videmus igitur, omnes Dei maledictiones, quæ in Levitico, & Deuteronomio, referuntur effectum sortitas, æquè ac illæ de dispersione nostra ad extremitates terræ (quæ est Lusitania) ac illæ, quæ de calamitatibus istis inquisitionis, atque exiliorum intelligendæ videntur; vt docui in libro meo de Termino vitæ: vnde appa-

apparet, omnia vaticinia felicia impletum iri. Et quemadmodum nos periimus, ita etiam corruituram Bosra (Romam) vide Esaiam cap. 34. vers. 6.

Sect. XXXI.

SEcundò non potest eludi ratio, ob quā Deum nos ad meliora servare dicimus, quam a nostra in tot malis constantia ducimus. Moses sub finem maledictionum hæc addit: *quamvis in terris inimicorum suorum sint, non odi tamen eos; nec rejeci eos, ut consumam eos, & annihilem fædus, quod pepigi, Dominus enim Deus ipsorum sum.* Et sanè hæc jam impleta sunt, eò quòd in hac captivitate, & inter hæc, quæ Iudæi patimur opprobria, multi tamen nostrûm à principibus singulari quodam affectu magnificè excipiuntur. Ita D. Ishac Abarbanel, ex stirpe Davidis oriundus, Regum Lusitaniæ, ac Hispaniæ, consiliarius. Eo etiam sibi magnum acquisivit nomen, quòd lites, quæ inter Lusitaniæ Regem, ac

Vene-

Venetianam Rempublicam exortæ erant composuerit: Ex illâ autem Abarbanelis familia, quod obiter hic monere volui, procedunt filij mei a parte meæ uxoris. Ita in ædibus filii ejus Domini Samuelis Abarbanel, ac uxoris ejus Benuenidæ, Neapoli educata est Dña Leonora de Toledo, filia Domini Petri de Toledo Vice-Regis Neapolitani, quæ nupta postmodū Serenissimo Duci Cosmo de Medicis, & Toscaniæ ducatum nacta tanto honore Benuenidam prosecuta est, quasi mater esset. Pax illa, quam inivere cum Imperatore Sultan Selim ante 75. annos Veneti, à Iudæo quodam Don Selomoh Rophe legato Venetias misso, ac magna cum pompâ à Venetis excepto, facta, & conscripta fuit. Constantinopoli magnâ valent auctoritate apud Turcam, Dominus Ben Iaese, Anaucas, & Sonsinos.

In Ægypto, Iudæi semper fuerunt Saraph baxas, & hodie etiamnum est Dominus Abraham Alholu. Quis nescit Dominum Iosephum Nassi, aliàs

Ioan-

Ioannem Michesium, anno superioris seculi præter propter sexagesimo sexto Ducem fuisse Nacciæ, Dominum Mili, & septem Insularum, de quo vide Famianum Stradam *in Historia Belgica part.1. lib.5.* Ad hos verò honores evectus fuit a sultane Selimo: quemadmodum etiam a Sultane Amurat Tyberiadis gubernator factus est Iacob Aben Iaes, aliàs Alvaro Mendez, teste Botero *in relationibus parte 3. lib.2.*

In Barbaria Domini Rutes fuerunt semper Sekes, Phes, & Taradantæ Anno 1609 D. Samuel Palaxe a Rege Marroci Mulai Zidan legatus missus fuit ad Ordines, ac fœdus anno sequēti pepigit inter eos. Mortuus est autē Hagæ Comitis anno 1616. Funus Celsissimus Princeps Mauricius, ac nobiles comitati sunt. In Persia quanti sint, quis ignorat. Ibi ante XXX annos Elhazar secundus a Rege, ac quasi gubernator fuit. Nunc ipsi successit David Ian, cui aliique etiam juncti in aula ibi vivunt. Illud autem non o-

mitten-

mittendum, quod cùm serenissimus Holsatiæ dux in Persiam legatū Ottonem Burchmannum mitteret anno 1635 a nostris Hamburgensibus Iudæis literas commendatorias ad illos, quos in aula ibi degere diximus, petierit, vt ignoto ibi ad quæque facilem viam sternerent. Quod factum etiam est. Vnde nostri in Persia muneribus ditatum Burchmannum, literisque ad Serenissimum Holsatiæ Ducem datis, quas duodecim Chuzæ, sive primates subsignârant, dimiserunt, quarum literarum exemplar mihi suppeditavit Clarissimus D. Beniamin Mussaphia, Principi familiaris.

Affirmat etiam Claudius Duretus en son *Thresor des langues* fol. 302 Iudæos ferè infinitos in Asia superesse, præsertim in India, & regem Cochini habere summum fautorem. Imo & Synagogas ipsos ibi habere tradit Linschoten, ubi de Cochino tractat, nonnullosque etiam ipsi Regi in consilium adhibitos. Pragæ Mardocheas Maisel insignia habuit ab impe-

ratore

ratore Matthia, ac equitum ordini adſcriptus. Qua etiam dignitate potitus eſt Iacob Bathſebah ſub imperio Ferdinandi, & complures aliæ familiæ aliis honoribus decoratæ ſunt: eò quòd in hac etiam captivitate (quis credat alioquin talia) tantis pollent opibus, ut etiam inter nobiliſſimos favente divina providentia locum ſibi vindicare audeant.

SECT. XXXII.

QVis enumeret tot fama, ac literis illuſtres? doctiſſimus Rabbinus Moſes bar Maimon fuit medicus Saladini regis AEgypti. Moſes Amon imperatoris Sultanis Baiaſeth; Elias Montalto Sereniſſimæ Galliarum Reginæ Ludovicæ de Medicis, ejuſque inſuper conſiliarius. Paduæ docebat Philoſophiam Elias Cretenſis, & Grammaticam Hebræam Rabbinus Abraham de Balmas. Quanto verò in honore erat Romæ Elias Grãmaticus. Abrahamum Kolorni omnes

omnes ferè Italiæ Principes quovis honorum genere prosecuti sunt, ut constat ex Epistola, quam ad eum scripsit Thomas Garzoni nella sua Piazza universale del mondo.

Picus Mirandulanus, qui dicebat, *non magno ingenio valere eũ, qui sua tantum, non etiam aliena sectaretur*, aliique Principes, præceptores habuere Hebræos. David de Pomis Pontifici Xisto v. opus suum dedicavit, qui & Authorem, et opus, comiter, ac perhumanè excepit.

Sic complures hodie videmus cupidos discendi Hebræa à nostris. Hinc videre est non dereliquisse nos Deum. Nimirum si hic nos insequatur, alter honestè, ac comiter, nos excipiet. Ac si hic princeps malè ipsos tractet, alius bene: si hic è terris suis excedere eos jubeat, invitat alius mille Privilegiis, ut fecere varii Principes Italiæ. Serenissimus Rex Daniæ, et jam Celsissimus dux Sabaudiæ in Nissa. Et an non videmus florere in commerciis, multumque cre-

creſcere Reſpublicas, quæ Iſraelitas admittunt.

SECT. XXXIII.

DIcit verò Moſes in ultimo ſuo cantico Deum ulturum ſanguinem populi ſui diſperſi. Et Ieremias cap. 2. vers. 3. *Res ſancta eſt Iſrael Domino, primitiæ frugum eius, omnes, qui devorant eum, culpabuntur: malum veniet ſuper ipſos, dicit Dominus.* Id variorum temporum, jam inde à Nebuchodonoſore, uſque in hodierna, Hiſtoriæ teſtantur. An non corruere magnorum principum monarchiæ. Spectate mecū infelices exitus Antiochi, Pompeji, Siſibuthi, Philippi Regis Galliarum. Alonſi filii Iohannis ſecundi. Quam pulchre hic etiam cum quarta Generatione ſua, cæſo in Africano prælio cum omnibus regni ſui nobilibus Rege Sebaſtiano: eodem in loco, in quo exulare fecit Iudæos. Magni perſecutores gentis noſtræ fuere Ferdinandus, & Iſabella, ſed

quam obiit mortem hæc, quam ille, quem gener, propriique subiecti, persequebantur. Filius ejus unicus anno ætatis decimo septimo ipso nuptiarum die decessit nulla prole relicta. Filia ut regni, ita & odii paterni hæres, nolebat nubere regi Emanueli Portugalliæ, nisi & ipse nos solum vertere, ac religionem mutare, cogeret. Sed an non ipsâ in puerperio Saragoci, filioque, qui necdum sesquiannum impleverat, extinctis, successio per masculos in regno Hispaniæ desiit? Non ita diu est, quod Hispani quascunque animus excogitare posset crudelitates, Mantuæ in nostros exercuerint, Quid dicemus de eo, quod Madriti an 1632. per inquisitionē factum fuit, annuentibus rege, ac regni principibus; sed eodem etiam mense Carolo infante expirante, regnum in peius ivit. Quid mirū, si Deus varia regna variis etiam modis, ac calamitatibus, castigavit: at ea de re ulterius tracto in Historia mea Iudaica. Concludamus itaque instare brevi futurum illud, ac promissum à

Deo

Deo bonum, cum videamus jam mala nos passos, quæ per Prophetas idem nobis erat minatus.

Sect. XXXIV.

Tertiò brevitas temporis, quo redemtionem instare censemus, etiam eo confirmatur, quod promiserit Dominus, congregaturum se duas tribus Iudæ, & Beniaminis, ex quatuor plagis mundi, vocās eas נפוצים Nephussim. Vnde colligas etiam, ut id impleatur; segregandas esse eas per omnes orbis angulos, ut dicit Daniel cap. 12. וכבלות נפץ יד עם קדש *Et cum dispersio populi sancti finem consequetur, omnia ista implebuntur.* Et hæc jam facta esse liquet, cum etiam Synagogæ nostræ in America inveniantur.

Sect. XXXV

Addamus his id, quod dicit idem Propheta eodem cap. vers. 4. multipli-

tiplicem fore scientiam, eò quòd tum melius intelligentur Prophetiæ, quarum mentem vix liceat assequi, nisi post earum impletionem: sic postquã gens Ottomannorum florere cepit, intelleximus Prophetiam duarum tibiarum statuæ Nebuchodonosoris eversæ per quintam Monarchiam secularem. Sic Ieremias, postquam tractavit cap. 30, de redemtione Israelis, & Iudæ, & de bello Gog et Magog, (cuius etiam meminit Daniel dicto cap. 12.) cùm agit de sceptro Messiæ filii Davidis, de ruina gentium, de restauratione Iudæ, de sancta Hierosolyma, & de tertio templo, subjungit: *ira Dei non revertetur, donec eam executus fuerit, & erexerit cogitationes cordis sui: in novissimo dierum intelligetis illud.* Vnde sequitur id, quod diximus, instare tempus redemtionis. Et quia Ieremias in isto capite in compendium redigit omnia, quæ futura sunt; dicitur sub initiũ capitis, quod verbũ Domini factũ esset ad Ieremiam, dicentis, *scribe tibi omnes sermones, quos ad te locutus sum, in*

librum

librum aliquem. Prophetiam hac ratione clariorem faciens, quod ita fecit, etiam stylo referens claro quæcunque prædixissent Prophetæ, ad imitationem Mosis, in cuius cantico ultima verba sunt, *Cantate o gentes populum ejus.*

Vltima etiam verba, quæ locutus est postquam benedixisset tribubus, sunt hæc: *Beatus es tu, o Israel, quis tui similis est o popule, salvus in Domino, qui est clipeus auxilii tui, & gladius gloriationis tuæ, & mentientur tibi inimici tui, & tu calcabis in excelsis eorum.* Vnde apparet Deum ulturum sanguinem Israelis effusum. Idem confirmat Ioel cap,4. *AEgyptus reddetur vasta, & Edom reddetur in disertum squallidum, propter vim, & iniuriam, Iudæis illatam, & quod effuderunt sanguinem innoxium in terra sua.* Quemadmodum igitur justo Dei judicio punientur, qui nobis male volunt, ita etiam à Deo beneficiis afficientur, qui nobis favent. Et istæ sunt arbores campi, quæ tunc temporis lætabuntur.

 Sic

ſic dixit deus Abrahamo, *Benedicam iis, qui benedicent tibi, & qui maledixerit tibi, eum exſecrabor.*

SECT. XXXVI.

HÆc ſunt, quæ colligere potui de hac materia, quam nemo tractavit hactenus, ex quibus ſequentia hæc inferri poſſunt.

I. Quod Indiæ occidentales antiquitus habitatæ fuerint à parte decem tribuum, quæ ex Tartaria per fretū Anjanis, aut Chinæ eo trajecerunt.

II. Quod tribus non ſunt in uno aliquo loco, ſed in diverſis, quia Prophetæ earum reductionem in patriam variis ex locis, Eſaias verò ex octo præcipue, futuram prædixerunt.

III. Quod non redierint ad ſecundum Templum.

IV. Quod hodie adhuc ſervent Religionem Iudaicam.

V. Quod Prophetiæ de reductione earum in patriam, implendæ ſint neceſſario.

Quod

VI. Quod ex omnibus mundi plagis convenient in duo illa loca Assyriæ, & AEgypti, domino viam facilem, amœnam, ac omnium abundantem, præparante, ut docet Esaias cap.49. & inde Hierosolymam provolaturæ sint, ut in nidos suos aves.

VII. Quod regnum earum non erit amplius divisum, sed quod 12. tribus sub uno jungentur principe, id est, sub Messia filio Davidis, quodque nunquã è terris suis expellentur.

SECT. XXXVII.

REdeo ad Montezini nostri relationem; quam, ut verissimam, omnibus aliorum opinionibus prætulerim. Quod enim a nomine Ophir Peru derivent Guilielmus Postellus, Goropius *apud Ortelium*, Bozius *de signis Ecclesiastic. lib.2.c.3.* Marinus *in arca Noë*, *P.* Sa. *in* III *Reg.* Pomarius *in Lexico*, & Possevinus *lib,2, Biblioth. c.* 8, probari non possit, ut rectè animadversum Pinadæ *in Iob.c.*28.p.500. Quid

quod ipsis Peruensibus ignotum esse id nomen ex Garcilasso de la Vega docuimus! Ophir itaque India Orientalis est, si Iosepho *lib*, 8. *Antiq. Iud. c*, 6. & Acostæ *l.* 1. *Hist. Ind.* credimus, unde Salomō aurum, ac gemmas, abstulerit.

Quod verò celebratissimam illam, multumque Platoni in Critia, et Timæo, laudatam Insulam Atlantidem Gomara 1 part. *Hist. Ind fol.* 120. et Zarate *in præm. Hist. Peru* nostros transijsse volunt, atque inde in Insulas vicinas Barloventi transfretasse, hinc ad Terrā firmam, ac tandem in regnum Peru, et Novam Hispaniam devenisse, meritò ut fabulosum explodit, et ridet *Acosta lib.* 1. *Hist. Ind. c.* 22. sanè Marcilius Ficinus *comm. in Timæum c.* 4, & *Critiam*, ut Platonem defendat, censet, (ac sequuntur eum discipuli ejus Porphyrius, Origenes, et Proclus) omne id, quod in Critia, et Timæo, narratur, allegoricôs intelligendum esse.

Cananæos fuisse, qui cò confugerint metu Iosuæ, quis Lescarboto credat? Neque enim ego mihi persuaderi pa-

tiar,

tiar, regiones adeò remotas ab iis fuisse quæsitas.

Ex Norwegia, vel Hispania, venisse Peruenses qui volunt, vel ex solâ formâ, moribus, et illâ linguarum dissimilitudine, refutantur. Id verò magis falsum est, Israelitas esse, qui ceremonias, ac ritus suos, obliti sint. Illi enim pulcro corpore, pulcriori ingenio ornati fuere, ut docet Doctor Ioannes Huarte in libro suo, cui nomen *Examen ingeniorum cap.* 14. Deformes contrà, ac hebetiores, rudesque omnino Indos esse neminem fugit. Satis superque etiam a nobis ostensum, quanto studio, ac Zelo, et linguam, et religionem, extra patriam servârint Israelitæ.

SECT. XXXVIII.

PLacet itaque præ cæteris Montezinus. Quemadmodum enim alij populi Israelitas coegere, ut montana quærerent; ita habitatâ primum Americâ à persequentibus Tartaris

 pulsi

pulsi fuere usque ad montes Cordilleras, ubi ad extremum, Deo ita volente, latuere. Equidem non video, Israelitas ipsos, ceu eorum instituta cum alijs populis confero, quod magis ad veritatem accedat.

Fortè etiam olim America Asiæ non cõtigua fuit a parte septentrionali. Non absurdum adeò videtur mihi statuere, Israelitas terrestri itinere ex Tartaria Americam petijsse; ac postmodum Deum; qui servare suos vellet, alia inter miracula, etiam hoc præstitisse, ut terra inundaretur, ubi fretum Anianis est. Quid an non etiam sine miraculo factum id casu potuit, quemadmodum non unis vicibus mare ferventiori impetu terras abstulit, & formavit insulas. Xenophon *in suis Æquivocis* facit mentionem inundationis terrarum Ægypti, quæ contigit temporibus Herculis, & Promethei. Berosus similiter *lib.* 5. & Diodorus *lib.* 6. memorant diluvium Atticæ, in qua Athenas invenias. Plinius *lib.* 2. *c.* 85, & *lib.* 13. *c.* 11. Strabo *lib.*

*lib.*1. & *lib.*12. ac Plutarchus *in Alexandro* inundationem Insulæ Pharaonicæ quâ de re eleganter adeò loquitur Lucanus *lib. ultimo.*

Dein quis ignorat, quot, & quantas, urbes diversis temporibus funditus penè everterint varij terræ motus? Sueton. *in Tiberio c.*48. scribit sub Tiberio duodecim urbes in Asia hoc pacto periisse. Idem testatur Orosius *lib.* 7. *c.* 4. & Dion Cassius *lib,* 57. quanquam circa tempus varient. Tacitus *lib.*14. & Eusebius *in Chron.* narrant destructionem famosæ istius, ac opulentæ, Laodiceæ. Origenes *tom.* 28. *in Ioan.* & Baronius *tom.* 2 *Annal, Ecclesiast. anno* 340. alios terræ motus referunt, qui varios, ac innumeros homines, & urbes, pessūdederint. Accidisse id nostris etiam temporibus memorat P. Alonsus venerus *in suo Manuali temporū.*

Anno, inquit, 1638, *ingens terræ motus accidit in Insulis Terceris, maxime vero in S. Michaele, ubi Gubernator moratur. Tantum verò inaudita illa ædificiorum, ac terræ, concussio terrorem intulit habi-*

tanti-

tantibus, ut omnes è domiciliis aufugientes sub dio viverent. Paulo post duobus inde milliaribus viderunt mare evomere magnam igneæ materiæ copiam, quæ densissimum ederet fumum, nubesque ipsas tegentem, ac multa projiceret saxa tantæ magnitudinis, ut rupes viderentur. Pars decidens rursum in ipso dein mari formavit insulam, quæ sesquimilliare lata, sexaginta orgyas alta, centum ac quinquaginta orgyas profunda esset. Calidior illa exhalatio, quam edebat igneus ille mons, ipsas penetrabat undas, ac tot suffocabat pisces, ut duæ naves Indicæ oneri tanto ferendo essent impares. Eadem insula duobus post annis a mari iterum penitus fuit innundata.

SECT. XXXIX.

HÆc qui attentius considerat, non male meo judicio, colliget fretum itidem Aniamis terram inundatam esse. Aliud etiam dubium hinc solvere est. Nempe post diluvium illud universale crevit rursus humanum

num genus, crevere itidem omnia animalia, quæ in arca fuere servata. Sed quo pacto tot animalium genera ex mutuo coitu, non item ex terra prodeuntia, in istas venere terras? Alia enatasse eo, alia ab aliquibus venatoribus abducta, alia ex tellure procreata esse, ut in prima creatione factum, putat Augustinus. Sed quod animal terrestre tantum enatet mare? An verò venatores leones, aliaque id genus animantia, eo abduxerint sæpe magno vitæ suæ periculo? Et si Deus ex ipsa terra animalia creasset, non jussisset ea Noachum in arca servare. Planè mihi persuadeo eâ, quâ dixi, viâ in Americam transijsse illa, quæ invenire ibi est, animantia, nisi quis novum hunc mundum veteri annexum ab alia parte æstimet, ut sentit Herrera dec 3. lib. 11. cap. 10.

Sect. XL.

CÆtera in Montezini nostri relatione quod attinet, nihil docent, quod

quod falsum sapiat. Quod enim illud *Semah* dixere, sanè hic nostris mos est qua mundi in parte etiam vivant; ac confessionis, & religionis Iudaicæ, quasi compendium est. Revelatio illa Magorum, quos *Mohanes* vocant, convenit cum iis, quæ in IV. Esdræ videre est de miraculis, quæ præstitit Deus Israelitis Euphratem trajicientibus.

Cōditiones istas de nō revelandis alij secretis, quā qui trecentas lunas, quæ vigintiquinque annos conficiunt, excessisset, vel inde veras esse patet, quod Clariss. de Laet narrat in multis Americæ partibus Indos per lunas annos suos computare. Quod secretum dicitur revelandum fuisse in campo; an non morem Iudaicum arguit, quem in Iacobo observarunt antiqui? qui à Labane discessurus uxores suas in campum convocabat.

Finio jam igitur opusculum hoc; in quo hæc mihi tantum fuit intentio, ut breviter, ac, quam fieri posset, compendiosè, meam, Rabbinorumque

sen-

ſententiam declararem in ijs, quæ tractavi. Non ingratum fore hunc conatum noſtrum ſpero, ſiquidem à multis viris tum genere, tum eruditione clariſſimis per literas expetitū; non inutilem, ſi quidem Montezini Relationem, quâ potui brevitate, eo explicamus. Nomen Dei ſit benedictum in æternum.

FINIS.

